





1703 13/26 35

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS

DE
COMPARATIONE OBLIGATIONVM QVAE EX DIVERSIS HOMINVM STATIBVS ORIVNTVR

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI, ELETORATVSQVE BRAN-
DENBVRGICI HEREDE, ET RELIQA

PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO,
P. P.

ERVDITORVM EXAMINI
A. D. NOVEMBR. A. MDCCIII.
SVBMITTIT

IO. WILHELMO COELER,
RAGVHNO-ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.




107

DISSERTATIO IURIS NATURALIS
DE
COMPARATIONE OBLIGATIONUM
EX DIVERSIS STATIBUS ORIGINATIVIS

AVCTORE
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AD DOMINUM
DOMINUM FRIDERICO WILHELMO
REGNI BORUSSICAE ELECTORIS PRINCIPIS
DENYVAGICI HEREDI ET ALEXANDRI
PRESIDENTIS
IO. FRANCISCO RYDDEG

EXAMINATA
A D. NOBILISSIMO A. RYDDEG
PRAESIDENTE
IO. WILHELMO COELEN
RECTORIS ACADEMIAE





Σύνοψις.

IN officiorum & obligationum comparatione maxima est difficultas, §. I. Quae tamen ab huius argumenti tractatione nos deterrere non debet, §. II. Obligatio quid? & unde? §. III. An admittat comparationem? §. IV. Eminentior comparationis modus, indeque resultans iuris perfecti & imperfecti discrimen, §. V. An ius imperfectum & virtus unum idemque sint? §. VI. Comparationis in reliquis obligationum modis, ratio, §. VII. Quinam doctrinam de comparatione attigerint; Cicero, Ambrosius, Verulamius, §. VIII. Verulamii consilium de hac doctrinae moralis parte vltcrius proponitur, & Vincentii Placcii in illud censura discutitur, §. IX. Eidem Placcio porro occurritur, §. X. Scharrockii, Pufendorfi, Michaëlis Förtsehi hac in re conatus, §. XI. Nostrae tractationis limites ad officia hominum erga alios, & quidem ex certo statu fluentia, se saltem porrigunt, §. XII. Non neglectis tamen in applicatione reliquis comparationum fontibus, §. XIII. Quot modis officiorum erga alios ex certo statu fluentium comparatio institui queat, §. XIV. Veterum ea de re sententia, speciatim Hieroclis, Ciceronis, Simplicii, §. XV. Ad specialia descenditur: comparatio parentum inter se: praerogatiua matris prae patre, ex sententia Hobbesii §. XVI. Eadem refellitur, §. XVII. Comparatio parentum & liberorum, §. XVIII. Praerogatiua liberorum

A 2

prae

prae parentibus certis limitibus circumferitur, §. XIX. Fundamentum ordinis in successione ab intestato, §. XX. Parentum & coniugum comparatio, §. XXI. Coniugis in successione ab intestato praerogatiua, an & quousque per leges civiles circumferri queat? §. XXII. Parentum & praeceptorum comparatio, ex sententia illorum, qui eos illis praeferunt, §. XXIII. An omnino praeceptoribus finis obligati? §. XXIV. Quid eis debeamus, qui hoc nomine indigni sunt, §. XXV. Discrimen illorum, qui munere suorum funguntur, §. XXVI. Quousque iuris huius quod praeceptoribus competit, limites pateant? §. XXVII. Sub praeceptoribus an etiam ministri verbi diuini comprehendantur? §. XXVIII. Parentum praeceptoribus praerogatiua, §. XXIX. Comparatio liberorum inter se, §. XXX. Primogenitorum praerogatiua contra Scharrokiuum asseritur, §. XXXI. Cognatorum tum inter se, tum cum aliis comparatio, §. XXXII. Comparationis huius usus in successione ab intestato declaratur, §. XXXIII. Exemplum singulare ex Herodoto accuratius expenditur, §. XXXIV. De amicis: natura amicitiae, §. XXXV. Comparatio amicorum, tum cum aliis, tum maxime cum cognatis, §. XXXVI. In successione ab intestato amicorum nullam haberi rationem, §. XXXVII. nec illorum qui magna in nos contulerunt beneficia, §. XXXVIII. Dubium ex Matth. V. 46 mouetur, & ad illud respondetur, §. XXXIX. Comparatio dominorum & cognatorum, ratione seruatorum, §. XL. Vicinorum cum reliquis ciuibus, §. XLI. Eorundem cum cognatis & amicis, §. XLII. Hospitum quae sit ratio, §. XLIII. Comparatio eorum cum cognatis, §. XLIV. & cum alienis ex mente veterum, §. XLV. Collegarum iura, eorundemque cum reliquis ciuibus comparatio, §. XLVI. Comparatio patrum & parentum, reliquorumque cognatorum, §. XLVII.

Item

Itemque principis & parentum cognatorumque, §. XLVIII. Diverſitas hominum, quae ex religione oritur: fraternitas chriſtiana, §. XLIX. Ea ex antiquis eccleſiae doct̄oribus ulterius declaratur, §. L. Religionis & fidei ſocios reliquis eſſe praefereſſendos, §. LI. non obſtante naturalis cognationis, quae inter omnes homines intercedit, vinculo, de quo Ethnicorum philoſophorum refertur ſententia, §. LII. Eadem cognatio naturalis ex ſcriptura ſacra, & eccleſiae doct̄oribus, adſtruitur & ulterius illuſtratur, §. LIII. Spiritualis cognationis prae naturali praerogativa ampliffima demonſtratur, §. LIV. Ulius natura & fundamentum ulterius illuſtratur, §. LV. Parentum cognatorumque naturalium cum fidei conſortibus comparatio, §. LVI. Comparatio illorum, qui ſpirituſuali cognationis vinculo coniuſcti ſunt, inter ſe, §. LVII. An religionis praerogativa ad integras gentes pertineat, §. LVIII. Pertinere, in quantum doct̄rinae communioni innititur, oſtenditur, §. LIX. Sociorum religionis prae aliis gentibus praerogativa in bello, §. LX. In federibus, §. LXI. Monitum ne praerogativa religionis in aliorum iniuriam ac detrimentum cedat. §. LXII.

§. I.



A est rerum, quae ad formandos erudiendosque mores pertinent, indoles, vt ſeorſim ſpectatae, vix vllum admittant dubium, in comparationem adductae velut obſcuritate quadam involuantur, iudiciaque etiam ſapientiffimorum virorum ſuſpenſa teneant. Etenim cum leges,

In officiorū & obligationum comparatione maxima eſt difficultas.

amorum virorum ſuſpenſa teneant. Etenim cum leges,

ges, quas Deum mortalibus praescripisse ratio omnes condocet, planissimae sint, & nisi quis sibi ipsi caliginem affundat, intellectu faciles, deprehendi statim potest, quid faciendum cuique omittendumue sit, ne crimine vilo se obstringat, vitioe commaculet. Ast si plura inter se conferantur, contendanturque officia, quodnam cuiusque actionis pretium, qui valor sit, non aequae patet. Accedit, quod vbique equidem, maxime tamen in ista virtutum officiorumque comparatione affectibus praepediri homines soleant, cum in tanta rerum, quae ibi simul istorum animis obiiciuntur, varietate, fieri aliter non possit, quin nonnullae sint, quas prae ceteris aut amandi, aut auersandi, vel causas vel propensiones habeant singulares.

quae tamen ab huius argumenti tractatione nos deterre-re non debet.

§. II. Nihilofecius cum ista officia, quae cum aliis necessario in comparationem veniunt, maximam vitae humanae partem absoluant, ob difficultatem, quae in ista diiudicatione conspicitur, adeo illorum non est omittenda consideratio, vt haec ipsa incitamento potius esse debeat, ad accuratius totum hocce argumentum discutiendum. Ad quod dum & nos, quod bene veritat, adgredimur, paucis, quid verba, quibus nostram circumscripsimus tractationem, sibi velint, explicandum est, non quod recepto mori hic obsequi pulchrum ducam, cum ab eodem, quando ineptus est, dissidere honorificum sit, sed quod ipsa argumenti ratio eiusmodi quid exigit.

Obligatio quid? & unde?

§. III. Obligationis itaque voce morale illud intelligo vinculum, quo morali velut necessitate ad aliquid aut agendum, aut omittendum, adstringimur. Id vero ex voluntate eius, cui imperium competit, originem du-

ducit. Etenim cum hominum haec sit conditio, vt illorum naturae non repugnet, agnoscere superiorem, ab huius etiam voluntate illorum pendent actiones. Imperii namque nulla vis esset, nisi, qui hoc gaudet, praescribere regulas posset, ad quas se componere debeant, qui eidem sunt subiecti. Illorum itaque quibus parendi gloria est relicta, munus est, haec regulas obseruare, easque sequi, nisi indignationem eius, qui imperat, poenamque iustissimam in se prouocare velint. Et haec est moralis illa necessitas, cum actu contrauenire mandato imperantis possunt, sed si contraueniant, statim intelligant, violatae legis poenas iure meritoque se duros.

§. IV. Ex voluntate itaque imperantis cum obligatio proueniat, haec vero, saltem ad Deum ceu supremum imperantem quod attinet, constans sit & vnica, dubitari omnino possit, an vllam obligatio admittat comparationem? Comparationem vero tum admittere dicitur, cum vna actio necessaria est, altera autem magis necessaria, ea quidem ratione, vt si vtraque concurrat, nec satisfieri vtrique possit, quod minus necessarium est, cedat ei, quod magis necessarium esse existimatur. Hanc vero diuersitatem, nullam in voluntate imperantis arguere, aut incōstantiam aut mutabilitatem, facile intelligitur. Deus namque, vt nunc ad ius diuinum speciatim dicenda accomodemus, constanti & immutabili voluntate decreuit, vt omnibus hominibus bene esset, quod fit accurata legum diuinarum obseruatione. Sed hominum haec est conditio, haec indoles, vt quaedam magis, quaedam minus necessaria sint, ad illorum salutem & conseruationem

*An admittas
 comparationem?*

nem. Ex obiecti itaque conditione, vt in scholis loquuntur, tota ista diuersitas prouenit, quippe qua id efficitur, vt vna ista constantissima & immutabilis Numini voluntas, diuersimode sese exerat.

*Eminentior
comparatio-
nis modus &
inde resul-
tans iuris
perfecti &
imperfecti
discrimen.*

§. V. Conspicitur ista diuersitas maxime in eo, quod quaedam hominum erga alios homines praestationes, ad vitam socialem, hoc est tranquillam & felicem, adeo necessariae sint, vt sine iis nulla prorsus cogitari socialitas possit: cum aliae contra socialitatem & adiuuent & promoueant quidem, non ita tamen necessariae sint, vt si non praestentur, destrui statim & tolli societatem necessesit. Atque haec est origo istius discriminis, quod inter obligationem perfectam, & imperfectam, constituere solent. Et enim cum ea rerum omnium administratio, qua Deo pro summa sua sapientia vt placuit, non permittat, vt reluctantes ipse externa violentia cogat, humani autem generis conditio exigat, vt quaedam officia prompte & sine mora praestentur, idque adeo & Deum ipsum velle certe inde colligatur, non aliud superest, quam vt concludamus, Deum illis ipsis, quibus haec officia praestanda sunt, facultatem, ea, etiam si opus fuerit, cum quadam violentia, statui tamen aut ciuili, aut naturali, attemperanda, exigendi, concessisse. Atque hoc est, quod *iuris perfectum* vocant, cui in eo, qui eiusmodi quid praestare tenetur, *obligatio perfecta* respondet.

*An ius im-
perfectum
& virtus
vnum idem-
que sint?*

§. VI. Ex quo simul illud intelligitur, obligationis pariter ac iuris, nam haec sibi inuicem respondent, notiones hoc etiam sensu ad omnia sese extendere hominum officia, quae homo homini praestare tenetur, licet non idem iuris & obligationis vbique existat gradus. Qui vero iuris & obligationis notionem tantum ad ea, quae prae-

praestare alteri perfecte obligati sumus, restringunt, in ceteris virtuti demū locum esse contendunt, immo omne iuris & virtutis in eo constituunt discrimen, arctiores quam par est, iuris limites constituere, & in virtutis definitione à recepta sententia, forte sine causā fatis praegnantī, mihi abire videntur. Etenim vult Deus, vt non tantum alterum non laedamus, pactaque & promissa seruemus, sed vt quaeuis etiam aliis exhibeamus humanitatis & benevolentiae officia, eo quod ad societatis custodiam hoc admodum conducit, & ideo, quia hoc Deus vult, alter etiam ius inde nanciscitur, haec omnia a nobis exigendi. Virtus autem non modo est, vbi humanitatis officia exercemus, sed & ea praestamus, quae perfecto iure praestare tenemur, modo non coacte & metu poenae, sed ex Numinis sincero amore, ea praestemus. Ergone, inquis, nullum inter ius & virtutem intercedit discrimen? Immo maximum. Namque ad iuris ambitum externa praestatio pertinet, praeterquam ille, cui aliquid debemus, a nobis nihil exigere potest. Ast animi dispositio vt eiusmodi adsit, qua actio Numini grata atque accepta reddi queat, hoc enim vero virtutis opus est.

§. VII. Si vero istam obligationum diuersitatem, *Comparati-
quoad eminentiores hosce effectus, tantisper sepona-
onis in reli-
gionis, non minor tamen varietas in omnibus officiorum
quis obliga-
tionum mo-
dis, ratio.*
generibus, quoad obligationum gradus sese nobis offerret. Namque vtrobique, tum in iis officiis, quae perfecte praestare tenemur, tum in iis, ad quae imperfecte obstricti sumus, exempla quamplurima eiusmodi actionum occurrunt, quae in se spectatae omnes a Deo praecipitae, & hactenus aequae sunt necessariae, ast in com-
B para-

parationem adductae, diuersi statim ordinis deprehenduntur, vt vna alteri etiam cedere debeat, si vtrisque satisfieri nequeat.

Quinam doctrinam de comparatione attigerint, Cicero, Ambrosius, Verulamius.

§. VIII. De eius modi officiorum comparatione, quae ex comparatione obligationum resultat, cogitantur quidem subinde philosophi: nemo, quantum mihi constat, ita exhaustit hoc argumentum, vt omne tulisse punctum censei debeat. M. TVLLIVS CICERO, & qui hunc imitatus est, Mediolanensium Episcopus AMBROSIVS, vterque in libro suo de officiis, subinde hoc argumentum attingunt, neuter certis principiis insisit, aut quod animo forte concepit, ita vt decet, pertractauit. Ex recentioribus FRANCISCVS BACON DE VERVLAMIO, inter ea, quae in morali doctrina nobis perficienda restarent, retulit illud de officiis comparatis argumentum. * *Quo spectat, inquit, officia perpendere, inter hominem & hominem, inter casum & casum, inter pri-*

** de Augment. Scient. Lib. VII. uata & publica, inter tempus praesens & futurum. Id p. m. 367. & quod deinceps subiectis exemplis vterius illustrat. ex edit.*

§. IX. Nec spernendum VERVLAMII consilium, modo recte intelligatur. Etenim si ista comparatio in specialibus instituat, aut specialissimis, hoc prudentiae potius opus est, nec ad eam doctrinae partem, in qua certa & euidentia ad mores formandos principia traduntur, pertinet. Hoc etiam animaduertit VINGENTIVS PLACCIVS, in sua ad VERVLAMII librum commentatione: *Aut enim, inquit, in singularibus (versatur ista comparatio) nec ad scientiam vilo modo, sed ad prudentiam vnicè pertinebit, cum illius sit sola vniuersalia demonstrare, huius, ea pro circumstantiis vel tollentibus causam vel extendentibus de singularium comprehensione* sub

consura discutitur.

sub vniuersalibus demonstratis vniuersaliumque intensione, indicare. Quod vero idem auctor addit de vniuersalium comparatione, id vero cum grano salis capiendum. Aut vero, pergit, vniuersalium comparatio instituitur, aut limitatio aliqua vniuersalis examinatur, quae vbi sit opus eam indagari, scientiae partem illius, cuius est officium illa considerare, constituet, v. g. num parum furari sapiens inutilem diuiti licite possit; quando quaerunt Cicero, Scioppius, Grotius, cum suis commentatoribus & fratre Guiljelmo, patet eam ad furti ex iure naturali demonstrandam doctrinam pertinere &c. Quibus si hoc sibi velit PLACCIVS, non opus esse, vt peculiaris practicae philosophiae pars, quae de officiis comparatis agat, constituatur, quod contendere videtur VERVLAMIVS, eo quod iam principia, quae hic in censum veniunt, in receptis haecenus practicae philosophiae disciplinis, reperiuntur, facile omnibus suam probabit sententiam: sin hoc, quod accuratori tractatione, & principiorum moralium ad hoc argumentum applicatione, opus non sit, neutiquam ei suffragari possum. Vsu enim hanc officiorum comparationem non carere, ex dicendis patebit; nondum autem hoc argumentum ita vt decet a quoquam pertractatum esse, nemo inficiabitur.

§. X. Existimat equidem PLACCIVS, inutilem *Eidem Plac-* & superuacua fore hanc comparationem. *Saepe* porro vero inquit, vt instituat vix opus erit, ni potius ad curio-occurritur, sitatem quam usum velis scientiam comparare. Ita quid attinet multum disputare, meliorne sit fortitudine temperantia? cum vtrique sit, quantis queas viribus, studendum, se velis boni viri nomen tueri. Quid opus an libido caede vel ebriositate sit deterior? sollicitis argumentatiunculis inue-

Bz

stiga-

figare, cum ab omnibus sit aequè abstineendum? Ast potest ista comparatio diuersimode institui. Talis comparatio cuius exempla auctor adducit, quæ vnius virtutis praestantia cum alterius confertur, fateor, vix vllum vsum habet. Doctrina autem omnis, maxime moralis, vitae, non scholae, aut vanis disceptationibus inseruire debet. Possunt tamen officia hoc modo inter se comparari atque contendere, vt quodnam laudabilius altero sit, quodnam necessarium magis, disquiratur, ea quidem ratione, vt si concurrant, nec vtrique satis queat fieri, inde intelligatur, quodnam praefendum sit alteri. Haec comparatio vsum suum latissime diffundit, cum in vita hominum frequentius nihil sit, quam vt si praestanda plura officia sint, nec praestari omnia queant, haesitent etiam sapientissimi mortaliū, dubitentque, quodnam eligere, quodnam intermittere debeant. Ex iis vero quae hucusque attulimus, diiudicari etiam facile possunt, quae contra eundem PLACIUM disputat MICHAEL FÖRTSCHIVS, Theologus

* *Differ. I. Tubingensis.* *

*ad Ambrosii
librum de
officiis p. 307
seqq.*

*Scharrockii,
Pufendorffii,
Michaëlis
Förtschii
hac in re
sonant.*

*** Cap. XII.
p. 470. seqq.*

§. XI. Post VERVLAMIUM ex recentioribus, quantum mihi constat, nemo hoc argumentum attigit, praeter ROBERTVM SCHARROCKIUM, qui in suo de officiis secundum Ius Naturae libello, ** ex instituto de comparatione quoque officiorum differit. Sed fontes & principia comparationis non accurate designat, & vbi ad rem ipsam venit, a recto subinde aberrat tramite. Voluntatem in illo laudaueris, cui non vsquequaque vires respondeant. Nec oblitus comparationis huius

*** qui de quantitate, vt vocat, rerum actionumque moralium praecipiens*

ens * id videtur in animo habuisse, quod qui compara- * *De I. N.*
tionem officiorum explicant, sibi volunt. Nec enim vl- *& G. lib. I.*
la rei moralis, aut actionis, quantitas, pretiumue, intelligi *Cap. VIII.*
sine comparatione potest. Sed recentissime omnium
hoc argumentum in scenam reuocauit is, quem antea
laudauimus MICHAEL FÖRTSCHIVS, vir doctissimus, qui
non tantum in sua in Ambrosium commentatione sub-
inde huius rei iniicit mentionem, & eius necessitatem in-
tellexit, sed dissertationem quoque singularem de ea
promisit, quam tamen videre mihi non contigit.

§. XII. Nec nobis nunc licet hunc emetiri campum, *Nostrae tra-*
aut dicere hac de re, quicquid dici possit. Certis nos cir- *clationis li-*
cumscribimus limitibus, ne dissertationis modum trans- *mires ad of-*
grediamur. Cum ergo multiplici ratione & diuerso re- *ficia homi-*
spectu comparari inter se officia hominum possint, nobis *num erga a-*
tamen constitutum, de iis tantum officiis differere, quae *lios, & qui-*
aliis exhibere tenemur, cum ceteroquin de comparatio- *dem ex certo*
ne officiorum erga alios, cum officiis hominis erga se- *statu fluen-*
ipsum, latissimus sese nobis aperiret campus. In his ve- *ria, sese altem*
ro ita versabimur, vt tantum eam diuersitatem, quae ex *porrigunt.*
ipso hominum statu oritur, consideremus, & quo pacto
secundum hanc inter se comparentur, ostendamus.
Natura autem cuiusque officii cum obligationis quoque
modum atque gradum indicet, patet, recte a nobis hanc
quoque obligationum comparationem vocari.

§. XIII. Nec vero, cum specialis applicatio instituen- *Non negle-*
da, reliqui comparationum fontes negligendi, sed omnes *lis tamen*
simul in consilium adhibendi sunt. Contingere enim *in applicati-*
potest, vt certo respectu actio praeferranda alteri videat- *one reliquis*
ur, quae si reliquae *σχεσεis* accedant, & cuncta aequa *comparati-*
trutina ponderentur, omnino eidem postponenda est. *onum fonti-*
bis.

Cognatum si cum peregrino contendas, in officiis quae utriusque praestari nequeunt, hunc illi postponendum esse, nemo temere dubitauerit. Pone vero, hunc indigentiorum esse tui auxilii, quam illum: mutabitur scena, aliter erit pronuntiandum. Rem non male explicat IOACHIMVS ZENTGRAVIVS. * Cum enim recte asseruisset, plures, si cetera recte se habeant, praefereandos esse paucioribus, ita pergit: *Singulos vero inter se conferendo, quo cuique suum ex charitate debitum praestetur, vel etiam quae ex charitatis concessione exhiberi possunt, rite & decenter conferantur, primam rationem habendam esse dicimus propinquitatis, alteram necessitatis, tum ceterorum, quae alicui prae aliis, ad habendum aliquid ab alio, ius aliquod parere possunt. Hic facto bonorum inter se, quibus vnus prae altero indiget: malorum item, in quibus huic prae illo auxilium ferendum, collatio instituenda, illique charitatis opus praestandum, qui rationum momentis reliquos vincit. Distinguendi ergo sunt comparationum fontes, & vniuersales, qui semper & vbique obtinent, discernendi ab illis, qui tum demum locum inueniunt, cum illi non obstant, quos speciales dicere fas fuerit. Ad illos retulero: quod praecepta affirmatiua cedant negatiuis; quod, quae obligationem perfectam habent, praeferenda sint iis, quae obligatione imperfecta gaudent; quae causas magis honestas ac vtilis habent, iis, quae causa minus honestas & vtilis habent, & si quae his sunt similia. Speciales autem voco, qui ex certo hominum statu oriuntur, de quibus hic agimus.*

* Summa
iuris diuini
p. 66.

Quot modis
officiorum
erga alios ex
certo statu

§. XIV. Possunt autem & hi comparationum fontes ad tria reuocari capita. Namque aut vna societas, ex qua certus status oritur, cum altera contenditur, aut

aut singuli homines cum ipsis societatibus, aut qui in societatibus certis viuunt, certoque in statu constituti sunt, inter se contenduntur. Integrarum societatum, & officiorum hinc resultantium, comparatio, fere dubio caret: cum manifestum sit, quod minor societas & ex qua minus emolumentum ad humanum genus redundat, maiori, & quam saluam esse humani generis interest, omnino sit postponenda. Sic & singulos homines integris societatibus quantumuis minimis cedere, si cetera recte se habeant, dubio caret. Ast si homines singuli, quibus tamen status in quo viuunt, certam praerogatiuam conciliat, inter se contendantur, tum vero quis praefendus alteri sit, quis postponendus, non aequae semper patet.

§. XV. Fuerunt sane & inter veteres, qui hos obligationum designare gradus annisi sunt. Eos sane HIEROCLES eleganti circulorum plurimorum circa idem centrum descriptorum, comparatione distinguit apud STOBAEVM* quorum intus corporis est, centro, hoc est menti, proximus, extimus totius generis humani est, reliquos omnes continens. Clarius hoc edisserit M. TVLLIVS CICERO quanquam ab officiis, quae singulis hominibus debemus, non satis discernens quae integris societatibus exhibere tenemur. Gradus autem, inquit, ** plures sunt societatis hominum, ** Lib. I de ut enim ab illa discedatur infinitate propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur. XVIII. Interius etiam est, eiusdem esse ciuitatis. Multa enim ciuibus sunt inter se communia, forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines, praeterca & familiaritates multaeque cum multis res, rationesque contra-
Etac.

fluentium comparatio institui que- at?

*Veterum ea de re sententia speciatim Hierocles, Cicero nis, Simplicii. * Sermo. LXXXII.*

offic. cap. XVIII.

*Et*ae. Arctior vero colligatio est societas propinquorum: ab ista enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque concuditur. Nam cum sit hoc natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas est in ipso conjugio: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis & quasi seminarium Reipublicae. Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum sobrinorumque, quicum una domo iam capi non possint, in alias domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui, quae propagatio & soboles est origo rerum publicarum, &c. Similia & SIMPLICIVS habet in suo ad EPICETI Enchiridion commentario.*

* ad cap. XXXVII.

Ad specialia descenditur: comparatio parentum inter se: praerogativa matris prae patre ex sententia Hobbesii. ** de Ciue cap. IX.

§. XVI. Sed iuvat paulo accuratius hoc ediffere. Et primo quidem parentes se nobis offerunt, qui si inter se contendantur, dubitari posset, patrine plus an matri debeatur? THOMAS HOBBSIVS matri potius quam patri favere videtur. ** Saltem naturaliter matri, non autem patri imperium in sobolem competere autumat: ex quo sequitur, quod arctiori vinculo matri quam patri liberi obligentur. Originem quippe imperii, quod parentes in liberos tenent, ex statu naturali sequenti ratione deriuat. In illo namque cum omnia in omnes liceant, prout unusquisque ad sui conseruationem hoc facere iudicat, victorem fieri dominum victi supponit. Ex quo sequitur, dominium, vel imperium potius, infantis ad illum primo pertinere, qui eundem primus in sua potestate habuerit. Manifestum autem esse, eum qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusuis alterius. Quae si eundem decreuerit educare, id quod vtique facere tenetur, ea

ea lege id facere intelligetur, vt ne adultus hostis fiat, id est, vt ipsi obediat. Et licet masculini sexus vulgo quaedam praefequiori sit praerogatiua, hanc tamen tantam non esse, vt pre eam imperium matri acquisitum eripi queat: praesertim cum accedat, quod si non nobiliorem, saltem magis laboriosam & molestam operam ad prolis generationem foemina prae mari conferat, quippe quae eandem intra corpus suum diu gestet, & ex sua substantia alat. A matre tamen in alios hoc ius deriuari contendit, id quod quo pacto fiat, vberius edisserit.

§. XVII. Recte vero Orestes apud EVRIPIDEM *Eadem re-
* primas patri dat partes.* πατήρ μὲν ἐφύτευσέ με, σὴ φέλλitur.

ἴ' ἐτίμτε παῖς, τὸ σπέρμ' ἄλλα παραλαβὼσ ἄλλῃ πάρα. Ἄ- * p. m. 132.

νευ δὲ πατρός τέκνον ἐκ εἴη ποτ' ἄν. Ελογισάμεν ἔν τῷ γένει
ἀεχνήγη μάλλον μ' ἀμύνα, τῆς ὑποστάσεως τεσσάρων. Pater

quidem plantauit me, tua autem peperit filia, semen ceu

terra ab alio suscipiens. Absque patre vero haud unquam

esse queat filius. Existimari igitur, me potius auctori ge-

neris opem ferre debuisse, quam ei, quae praebuit alimen-

tum. Sententiam probamus: rationem nostram non

facimus. Etenim si ex causis naturalibus definiendum

esset, patrine plus an matri homo debeat, dubia ni fal-

lor atque anceps futura lis esset, & forte plurimi re-

centiorum physicorum & medicorum, matri potius

quam patri fauere deprehenderentur. Nobis ergo hoc

sufficit, quod per leges diuinas posituias vniuersales

marito imperium in ipsam coniugem competat, quod-

ue princeps & caput sit totius familiae, cuius adeo im-

perio, modo non iniusto, praecipue parendum, & cui

etiam ob easdem rationes, si nullae aliae causae ob-

stent, liberi magis obstricti sunt, quam matri.

C

§. XIX.

*Comparatio
parentum &
liberorum.*

§. XIIX. Quid vero si parentes cum liberis contendantur? offerunt sane se hic in utramque partem rationes non contemnendae. Ex insito mortalium affectu si rem aestimes, hic liberis magis, quam parentibus fauere videtur. Notum enim & fere tralatitium est illud: amorem descendere, non ascendere. Naturam ipsam omnibus animantibus indidisse stimulum ad alendam fouendamque prolem, magno consensu omnes docent, aut similem animi affectionem liberis

* *Lib. I. cap. LXXX.* erga parentes nemo tribuit. **DIODORVS SICVLVS:** *

ἀγαθὴ γὰρ ἡ φύσις διδάσκαλος ἅπασιν τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν, ἔ μόνον ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γενομένων, διὰ τῆς συγγενῆς φιλοζωίας τὰς διαδοχὰς εἰς αἰδίων ἀγασα διαμονῆς κύκλον. Optima quippe magistra natura est, cunctis animantibus non tantum ad sui, sed & ad prolis suae conseruationem, ut cognata hac caritate continua successio ad aeternitatis circulum perueniat. Diserte autem **LVCI-**

* *apud Hu-* **ANVS** pronuntiat, * naturae conueniens esse, ut magis a parentibus diligantur liberi, quam a liberis parentes. *καὶ τοι γὰρ ἡ φύσις τοῖς πατέρας τὰς παῖδας μάλλον, ἢ τοῖς παισὶ τὰς πατέρας ἐπτάττει φιλεῖν. Magis natura iubet a parentibus liberos, quam a liberis parentes diligere.*

** *Nic. lib. VIII. cap. VII.* **Cui & suffragatur ARISTOTELES:** ** *μάλλον συνωκείωται τὸ ἀφ' ἑ τῶ γεννηθέντι ἢ τὸ γεννώμενον τῶ ποιήσαντι, τὸ γὰρ ἐξ αὐτῆ ὁμοίον τῶ ἀφ' ἑ. Magis afficitur causa generans erga genitum, quam genitum erga generantem. Nam quod ex aliquo ortum est, id ei quasi proprium est.* His addunt nonnulli, quod liberi cum nascuntur, nihil secum afferant, vnde viuant, & quod diutius quoque viuendum habeant, quam parentes. Vnde sicut honor & obse-

obsequium parentibus debeat, non liberis, ita educationem liberis magis quam parentibus deberi.

§. XIX. Ex hisce vero id demum colligitur, eo usque saltem liberos praeferendos esse parentibus, ut illis alimenta & quae ad vitae conseruationem pertinent, potius praebentur quam parentibus, siquidem vtrisque praebere nequeant, eo quod ponitur, liberos adhuc cura & educatione parentum indigere. Pone autem filium adultum cum auo sene concurrere, & ut vni auxilium feratur, hoc denegandum esse alteri? Parentibus obligati sumus ex animi grati lege, quae obligatio licet per se imperfecta sit, accedente tamen necessitate fit perfecta: cui licet merito haud minor erga liberos obligatio opponatur, dubium tamen, si ab instinctu naturali discedamus, erit, quem postponere alteri debeamus. Tristis fateor electio, aliquando tamen necessaria. Ego tamen censeo & hic filium praeferendum esse patri, nisi speciales quaedam rationes obstant: idque ideo, quod a filio iustae aetatis plerumque maiora adhuc commoda expectare respublica & humani generis societas possit, quam a sene, cui per naturae conditionem iam vitae finis imminet.

§. XX. Huic vero comparationi innititur ordo in successione ab intestato, quo post liberos primi & vltioris gradus, parentes demum in censum veniunt. Hic enim ordo non aliunde desumi potest, nec debet, quam a diuerso amoris gradu, quo propinquos & cognatos nostros prosequimur. Iam cum non tantum ob naturalem propensionem & instinctum, sed & ob rationes iustas atque graues, vehementiori merito quisque amore liberos suos prosequatur quam paren-

Prærogatiua liberorū prae parentibus certis limitibus circumscribitur.

Fundamentum ordinis in successione ab intestato.

tes, sequitur recte hos illis in successione ab intestato
 * Lib. II. de postponi. Bene HUGO GROTIUS* cum eas, quas &
 I. B. & P. ipsi attulimus rationes, quibus parentes liberis postpo-
 cap. VII. § V. nendos esse probatur, attigisset, addit: *Hinc fit, ut eti-
 am citra auxilium legis civilis, prima bonorum successio li-
 beris deferatur: quia creduntur parentes illis ut corporis
 sui partibus, non tantum de necessariis, sed & de his, quae ad
 vitam suavius honestiusque transigendam pertinent, quam
 uberrime voluisse prospectum, ab eo maxime tempore quo ipsi
 rebus suis frui non possunt.*

Parentum
 & coniugum comparatio. §. XXI. Possunt & parentes cum coniugibus
 comparari: sed id fere dubio caret. Est enim coniu-
 galis societas inter omnes longe arctissima, cui reliquae
 societates iure meritoque cedunt. Idque cum ex rati-
 one patet, tum ex diuina coniugii institutione. Nec
 praetermittendum illud Mosis effatum, quod & ipse
 Seruator repetit: *Propterea relinquet vir patrem & ma-
 trem, & adhaerebit uxori suae, fietque ex duobus unum
 corpus. Itaque non iam sunt duo, sed unum corpus. Gen. II.
 24. Matth. XIX. 5.* Arctissima enim hinc patet viri foe-
 minaeque coniunctio, & longe arctior quam in vlla alia
 societate esse potest. Simul vero diserte innuitur, pa-
 rentes quoque relicturum virum, vt uxori adhaereat,
 quod perinde est, ac si in officiis vxori postponendos
 parentes, aperte concessisset Deus. **

Coniugis in
 successione
 ab intestato
 praerogati-
 ua an &
 quousque
 per leges ci-
 uiles circū-
 scribi queat?

§. XXII. Magna hinc sine dubio vxoris in suc-
 cessionibus ab intestato resultat praerogatiua, cui quae
 repugnant leges ciuiles, an cum aequitate naturali con-
 ueniant? dubitari possent. Cum enim, vt antea dictum,
 suc-

** add. Io. Ioachimus Zentgrafius in summa iuris diuini. p. 663.

successione ab intestato ordo, desumendus sit a gradu
 amoris, non quidem qualis ille in hominibus est, sed
 qualis esse debet, ut praestantissimi iuris naturalis ma-
 gistri magno consensu docent, manifestum est, in hoc
 succedendi modo reliquis omnibus coniuges praefe-
 rendos esse, cum summus inter illos sit amoris gradus,
 saltem esse debeat, adeo ut *unum* etiam *corpus* fieri cen-
 seantur. conf. *I. Cor. VI. 16. Ephef. V. 31.* Cumque perfectis-
 sima haec unio sine perfectissima communione esse
 nequeat, equis bonorum communionem inter con-
 iuges intercedere negaret? Est tamen & hoc eiusmodi,
 ut praesens humani generis conditio exceptionem
 quandam adiungere iubeat. Etenim cum apud ple-
 rosque coniuges externa saltem coniunctio, non vera
 animorum unio, adeoque nullum verum matrimoni-
 um sit, alii quoque homines hac de re certi esse non
 possint, simulque si plena bonorum omnium commu-
 nio matrimonium statim sequeretur, plurima inde in
 ipsos coniuges, aut alterutrum saltem, redundare in-
 commoda possent, opus fuit ut legibus civilibus, quan-
 tum unicuique coniugum in alterius bona ius esse de-
 beat, definiretur. Qua in re tamen istae leges quam
 aequissimae censentur, quae naturae huius societatis,
 eiusque unioni arctissimae, quam minimum detrahunt.
 Accedit vero, si coniuges cum liberis contendas, quod
 licet arctius sit societatis coniugalis vinculum, sublimi-
 orque amoris gradus, in liberis tamen & maior con-
 servationis necessitas, ac naturalis ad se conservandum
 sine ope parentum impotentia deprehendatur: unde
 ut coniugibus prospiciatur, nec tamen negligantur li-
 beri,

beri, immo si cetera recte comparata sint, horum vel maxime habeatur ratio, par est.

Parentum
& praeceptorum
comparatio,
& sententia
illorum qui
hos illis praeferunt.

* Lib. II. Institut. Orator. cap. X. ** Ep. XXIV. *** in Epist. cap. XXXVII.

§. XXIII. Parentum vero nomine & praeceptorum, quique ad sapientiam mentem erudiunt, venire solent. Discipuli enim hos etiam parentes esse, non quidem corporum sed mentium, ait **QUINTILIANVS.** * Quare nihil solemnius est quam cum parentibus contendere praeceptores, suntque omnino qui dubitant, annon praeferendi sint parentibus. **DIONYSIVS Sophista** ** haud procul ab hac abesse sententia videtur: παιδευτής ἀμείων ἐναίεσθαι πατρός. *Præceptores videntur adhuc meliores esse ipso parente.* Huic & **SIMPLICIVS** suffragatur *** qui sequenti ratione suam confirmat sententiam: ὅτι οἱ τροφεῖς ἔτοι καὶ ἐπιμελετὰ ἔξ τῶ σώματος ἡμῶν, ἀλλ' ἡμῶν αὐτῶν καὶ εἰδὲ κατ' ἀναγκὴν τὴν φύσιν, ὅσπερ οἱ γονεῖς, ἀλλὰ κατὰ προαίρεσιν ἀγαθὴν μισθμένην τὴν θεῶν ἀγαθότητα. *Hi namque altiores & curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt, nec necessitate aliqua naturae, ut parentes, sed bona voluntate diuinam* **** **Orat. I. bonitatem imitante.** **PLVTARCHVS** **** dum Alexandrum magnum maiorem fructum ab Aristotele, quam a Philippo patre percepisse asserit, idem innuere videtur. A quo enim plurima accepimus beneficia, eisdem & magis videmur obstricti: πλείονας παρὰ ἄριστοτέλους ἔκαθηγηθῆ ἢ παρὰ Φιλίππου ἔπατρὸς ἀφορμὰς ἔχων.

An omnino
praeceptoribus
simus obligati?

§. XXIV. Dubito equidem an eo animo, qui simile quid asserunt, hoc proferant, ut serio credant, quae dixerunt, secundum ἀληθειαν philosophicam posse defendi. Sed priusquam, quid de ipsa hac comparatione censendum sit, exponam, generatim de officii erga

erga praeceptores aliquid monendum est. Cum enim qui animum ad sapientiam & pietatem erudiunt, bonisque artibus instruunt, magnum haud dubio nobis conferant beneficium, negari quoque nequit, ad gratum animum erga eos quovis modo declarandum nos obstrictos esse. Sed duo sunt quae hic in disceptationem veniunt, & quae non recte intellecta gravissimos, saltem in applicatione, errores pariunt. Primo quoniam demum isti sunt, qui hoc officiorum genus ab aliis exigere queant; deinde quovisque illis, qui hic in censum veniunt, sumus obligati.

§. XXV. Ad prius quod attinet, nihil solennius, quam ut qui in aliqua arte aliquem instruunt, statim supercilium fumant, & licet suos discipulos aut auditores nihil aliud quam ineptire docuerint, aut animum eius vanis & otiosis commentis & quisquiliis repleverint, praeceptoris tamen gravissimo nomine superbientes, obsequium, venerationem & quid non? exigant. Si non impetrent, proh! scelus! proh! piaculum, clamitant: praeceptores contemni, quos etiam ipsi sapientissimi viri Aristoteles & Cicero & reliqui, parentibus aut comparandos, aut praefereudos, censuerunt. Hos ineptos declamatores, quis sine risu, aut indignatione audiat. Scilicet pro animi corruptione, pro temporis dispendio, animum gratum postulant. Perinde ac si Medicus pro veneno, quod nobis propinasset, & fur, quod opes nostras abstulisset, laboris proemium exigere posset. Est tamen & hic cautione quadam opus. Etenim si qui ex schola eiusmodi magistri prodiit, errore ductus, carbones, quos inde retulit, thesaurum esse credat, is si ingratum animum prodat, cum tamen magno se mactatum beneficio

Quid iis debeamus, qui hoc nomine indigni sūt?

exi-

existimet, peccabit, cum & *προαίεσις* ista mala perpetrandi, crimine non careat. Si quis vero meliora edoctus, institutionis suae vitia intelligat, & ad veram sapientiam perducatur, is si & praeceptorem suum in viam meliorem adducere, ea, qua decet, humanitate, laboret, suum erga eum animum gratum satis superque declaravit.

Discrimen illorum, qui munere suo rite funguntur.

§. XXVI. Ego vero ita censeo, ex institutionis ratione omnino iudicandum esse, qui praeceptoris nomine tituloque dignus sit. Hoc vero ut rite procedat, a vera & solida eruditione, discernenda omnino venit falsa & superficialia. Solidae autem doctrinae variae iterum partes sunt, cum partim ad voluntatem, partim ad intellectum perficiendum ea comparata sit. Ex his quo quaelibet pars nobilior, eo maius in nos beneficium contulisse censendus, qui eam nobiscumque communicavit, habita tamen etiam fidei, diligentiaeque, qua in nobis erudiendis usus est, ratione. Sic licet sua laude, suoque proemio defraudandi non sint, qui intellectum linguis, variisque artibus atque scientiis imbuunt, haud dubio tamen praeferendi illi, qui voluntatem erudiunt ad pietatem, sed veram & non fucam. Voluntas enim cum praestantior facultas sit quam intellectus, nobilior etiam illorum opera censeretur debet, qui in ea emendanda occupantur: cui accedit, quod omnes artes atque scientiae plus noceant quam profint, nisi voluntate emendata, homo rectum verumque horum omnium usum simul condoceatur.

Quousque iuris huius, quod praeceptoribus competit, limites pateant?

§. XXVII. Gratos itaque erga praeceptores, sed veros, ut nos exhibeamus par est. Num vero ideo etiam obsequium debemus, aequae ac parentibus? Fuit sane haecenus illud scholastici imperii arcanum, hoc incul-

culcare omnibus, peccare eum grauisime & impietatis reum esse, qui non magistrorum dicta coeca obedientia amplecteretur, aut vel minimum de iis dubitaret. Hoc modo enim commenta quaelibet, quantumuis impia, quantumuis infulsa, obtrudere facile erat. Ipse iam SIMPLICIVS, vltra quam decet, auctoritatis, quam praeceptoribus asserit, limites extendit, quando ait: * πᾶσι ὑπὸ * l. c. τῶν ἐπιταττομένων ὡς θεῶ προσητάτους ἀποφασίως ὑπαγετέν. *Omnibus vero praeceptis eorum, tanquam diuinis dictis sine mora est parendum.* Quod licet nimium profecto sit, & ad tyrannidem scholasticam stabiliendam, pertineat, excusari tamen quodammodo potest SIMPLICIVS, quod longe aliam boni praeceptoris imaginem animo suo finxit, quam hodie sunt plerique. Etenim in loco supra iam allato dixit: *eos bona voluntate diuinam bonitatem imitari.* Quod sane ad eos, qui aut lucri cupiditate, aut ambitione ducti, munus alios erudiendi in se suscipiunt, non pertinet. Est tamen & hic aliqua opus cautione. Etenim nonnullis non tantum cura erudiendi discipulos, sed totius vitae directio concredita est: qui cum parentum vicibus fungantur, hoc vero sine quodam imperio commode fieri nequeat, manifestum est, quod horum discipuli ad obsequium etiam sint obstricti. Ad ceteros quod attinet, ab obsequio quod praeceptoribus debemus, rursus discernendum, quod ipsi veritati praestare tenemur. Enimuero non est positum in hominis arbitrio velintne veritatem, praefertim quae ad vitae rationes recte instituendas spectat, amplecti, an repudiare: sed vt diuina lege obstrictus est ad vitam recte instituendam, ita & ad media huc

D

du-

ducentia veritatis cognitionem, & obsequium cognitae veritati praestandum, omnino est obligatus.

Sub praeceptoribus an etiam ministri verbi diuini comprehendantur?

§. XXVIII. Palam autem est, sub praeceptorum numero recte quoque ecclesiae ministros, quippe qui docendi munere funguntur, comprehendi. Et sane horum cum eo pertineat cura, vt prauis moribus liberati ad virtutem veramque felicitatem traducantur, auditores, haec institutio, si ita comparata sit, vt finem suum obtinere queat, iure meritoque facienda est plurimi. Cum enim vera fides, vitaque christiano homine digna, ex vera fide fluens, maximum, quod mortales optare possunt, bonum sit, maximum etiam in nos conferre beneficium censendi sunt, qui vt huius boni participes reddamur, omnem nauant operam, omnem adhibent industriam. Hinc ergo quin gratum animum declarare, eumque re ipsa & verbis & quauis venerationis significatione demonstrare obligati sumus, nemo, puto, temere dubitauerit. Atque hoc verum & genuinum fundamentum est reuerentiae, quam verbi diuini ministris, praesertim si suo rite funguntur officio, debemus: a quo qui discedunt, & alia conquirunt, haud raro vana & inepta congerunt. Sic nonnemo, vt demonstraret sacri ordinis viris deberi venerationem, probauit hoc inde, quia PHILONI audiant: *Dei homines, θεῶν δὲ ἀνθρώποις ἰσότης*, adducto etiam hoc LIVII effato: * *Quorum scitis omnia publica priuataque sacra subiecta, vt esset quo consultum plebs veniret, ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque addiscendo turbaretur.* Sed qui talia afferunt, parum puto, pensi habent, quid dicant, quidue scribant.

* lib. I. cap. XX.

Parentum

§. XXIX. Iam ergo si praeceptores cum paren-

870

rentibus in comparationem veniant, non equidem ne-
 gandum, maiora interdum esse beneficia, quae a prae-
 ceptoribus in nos proficiscuntur, quam quae conferun-
 tur a parentibus, adeoque si obligationes liberorum er-
 ga parentes tantum ex animi grati lege deriuentur,
 videtur eiusmodi aliquando rerum status oriri posse,
 ut parentes & praeceptores pari quod aiunt, ambulare
 passu, aut hos omnino illis praeferendos, existimari
 queat. Verum in liberis, praeter istam grati animi
 legem, accedit utique sanguinis communio & propin-
 quitatis nexus, quem vehementior amoris stimulus
 comitari plerumque solet. Hunc vero cum non fru-
 stra Deus indiderit animis hominum; velle quoque
 eum ut eos quibuscum arctiori hoc naturae vinculo
 colligati sumus, prae ceteris, observato tamen iusto
 inter omnes ordine, & si aliae grauiores causae non ob-
 stent, diligamus, iure meritoque colligimus.

§. XXX. Ceterum, ut nunc ad alia progredia-
 mur, possunt etiam liberi inter se comparari. Attin-
 git eam comparationem quoque ROBERTVS SCHAR-
 ROKIVS, proposita quaestione, an ex natura fiat, quod
 liberorum alii aliis praeferantur? Quocum in eo con-
 sentio, quod natura omnes quidem liberi sint aequales
 eiusdemque conditionis, sed addo, posse tamen aliunde
 oriri certas causas, cur quidam ex liberis aliis prae-
 ferantur. Quare in iis, quae iure naturae liberis de-
 bebemus, omnium eadem est conditio, nec vni quic-
 quam concedi potest, quod denegetur alteri. At quod
 ad ea attinet, quae ex nostra pendent voluntate, aliter
 omnino pronuntiandum, cum nihil obstet, quo minus
 vni plus faueamus, quam alteri, praesertim si prae-
 gnantes

*Comparatio
 liberorum
 inter se.*

gnantes vt hoc faciamus, nos inducant rationes. Ex quo patet, hanc quae inter liberos intercedit, aequalitatem, non obſtare, quo minus in ſucceſſionibus primogeniti praeferantur reliquis, modo & his ea tribuantur, quae naturae iure exigere a parentibus poſſunt, alimenta ſcilicet & ſuſtentatio generis conditioni attemperata. Non abs re forte eſſet, nec ab hoc loco alienum, hanc primogenitorum praerogatiuam pluribus confirmare: ſed quia iam alibi * hoc a nobis actum eſt abunde, paucis tantum reſpondebimus ad ea quae ROBERTVS SCHARROCKIVS contra primogenitorum ſucceſſionem diſputat.

* in diſſertatione de ſucceſſionibus primogenitorum.

Primogenitorum praerogatiua contra Scharrockium aſſeritur

§. XXXI. *Nulla omnino, inquit, eſt quantum iam ſcio, ratio, nulla argumenti vis, qua probari poſſit, maiores natu liberos ceteris praeferri debere. Immo ſunt rationes maximae & grauiffimae, vt deinceps patebit. Eſto haec apud nos iam ex Normannica victoria conſuetudo, eſto communis lex: at neque naturalis affectus, neque ratio id ſuadet. Affectus hic in cenſum non venit; ratio ſi non cogit, ſaltem magnopere hoc ſuadet. Hinc vt de affectu hoc probaret, opus non erat: lubenter enim concedimus, parentes interdum propenſiori voluntate eſſe in ſecundogenitos aut natu minimos, quam in primogenitos. Ad rationem ergo progrediamur. Ratio vnicuique cur ſumma rerum in ſuo locaretur, eſt nominis aut familiae honeſtior conſeruatio. Immo populi, & totius rei-publicae ſalus, & conſeruatio, hanc ſuccedendi rationem requirit. Si enim regnum diuidatur, vires eius labefactantur, penitusque conuellitur: ſi vni deferendum, cui rectius, quam primogenito? Non iam quam honorificum ſit, vt e liberis alii dominium gerant, alii mendicent,*

dicent, disputo. Idem futurum esset, si non primogenitus, sed optimus succederet, quod contendit SCHARROKIVS. Potest autem vnus imperium obtinere, vt tamen & reliquis prospiciatur, nec mendicare necesse habeant. *Afero potius famam generis & familiae honestatem aequae defensionem fore, si iunior aut medius, aut quisquam a seniore alter ad haereditatem ex asse perueniret, multo autem facilius & certius, si maioris spei iuuenis eo dignitatis & rei familiaris prouebatur.* Quis vero iudicabit, quis sit maioris spei iuuenis? Num parentes? at hos affectus haud raro fallit. Num populus? is corruptioni est obnoxius. Quid si non consentiret? si iret in partes? nonne diffidiis aut bellis intestinis ita aperiretur fenestra? *Quid enim cum ratione sperari potest, si quando prodigum aut stultum contigerit, ob natiuitatis praerogatiuam, sortiri, quod nimis crebro contigit, haereditatem?* Si haec vitia aperta sint, in plerisque regnis iure suo primogenitus excidit. Ex eo vero non sequitur, primogenitorum non debere in successione potioem esse conditionem. Sin de hisce vitiis certo non constet, optima quaeque speranda. Namque & illi qui optimam de se spem praebent, & ad imperandum deliguntur, degenerare possunt. Quis ignorat quinquennium Neronis? *Concidit etiam ex seniorum, qua tales, praelatione meriti honor & respectus: nemo parentes demereri anxius contendet, cum mercedem nequeat non desperare.* Pratae indolis est, tantum ob spem mercedis parentes venerari. Adeoque has blanditias saluti gentis suae, & reipublicae, merito postponunt parentes. *Nemo certe nisi cui mentem exemit iupiter in naturam peccasse Romanos credet, quibus in usu erat, vt par fieret liberorum condi-*

rio. Admittebantur enim ex aequo in parentis intestati bona, ut patet legenti, quae hac de re in *Insti. utis, Nouellis- que & Doctoribus* loca luce sunt clariora. Magnifice admodum, fateor, de Romanis sentit SCHARROCKIVS. Ego existimo posse & sanae mentis hominem dubitare, annon quandoque a recto aberrauerint tramite sapientissimi isti viri Romani. Quicquid huius sit: in successione priuatorum concedo, aequitati esse conueniens, ut quantum fieri potest omnium liberorum eadem sit conditio: & de his loquuntur leges Romanae: de successione in regnis nego, de quibus tamen praecipue haecenus disputauimus.

*Cognatorum
tum inter se,
tum cum
aliis compa-
ratio.*

§. XXXII. Nunc reliqui se nobis offerunt cognati. SCHARROCKIVS de hisce duo asserit: vnum, quod homini liberum sit, deficiente linea descendente, quemlibet cognatorum cuiuslibet praeferre: alterum, quod propinquorum non descendentium alii, aliis ordinis, aut gradus ratione, praeferendi sint. Enimvero possunt cognati generatim aut cum aliis, aut inter se, comparari. Prius si fiat, nullum superest dubium, quin cognati praeferendi sint non cognatis. Posterius autem si contingat, ordinis omnino habenda est ratio, ut quo quisque propius cognationis iure nos contingit, eo maiori quoque in eum feramur affectu. Par enim est, ut naturae ordini amorem nostrum attemperemus, ad quem ipse quoque instinctus naturalis nos ducit: qui cum quandoque ob causas peculiarias cesset, facile tamen in aliis deprehenditur. Sunt tamen haec omnia eiusmodi, ut mutationem ob causas magis necessarias facile admittant, & eousque saltem locum inueniant, quousque haec officia, qui cognationis iure nos attingunt, a nobis

nobis exigere possunt. Manifestum hoc est in successione ab intestato. In his enim ut idem ordo obseruetur, equidem par est, cum, ut supra dictum, is amori eiusque gradibus diuersis innitatur. At cum aliquando causae intercedere queant, quae nos ab ipso velut amoris officio liberent, & alios magis, quam qui proximo cognationis vinculo nobiscum colligati sunt, amare permittant, tum iure suo quod habent, omnino excidunt. Et hinc generatim intelligitur, quousque per testamenta derogari queat successioni ab intestato. Sed & patet, cur non idem semper in successione ab intestato obseruari debeat ordo. Sic in regnis & rebus publicis passim successio linealis praefertur haereditariae, insuper habito proximitatis gradu. Etenim populi & reipublicae salus hoc postulat, cui linealis potius quam haereditaria inferuit succedendi ratio. Amare enim proximos cognatos prae reliquis debemus, sed magis amare populum: huic ergo si consuli nequeat, nisi illorum commodis neglectis, necessitas illos amandi sua sponte cessat. Et hinc diiudicanda sunt, quae HUGO GROTIUS, SAMUEL PUFENDORFIUS, alique, de successione ab intestato disputant, cui argumento licet vberiore affundere lucem pronum esset, instituti tamen hoc prohibet ratio.

§. XXXIII. Ut paucis tamen nonnullas quaestiones, quae agitari solent, saltem ut speciminis instar sint, indicemus, saepius disputatum acriter meminimus, an nepos ex filio priori, filio posteriori recte praeferatur? item, an minor frater praeteres regis anteponendus sit majoris fratris filio? Praeterea, an fratris filius regis patruo recte praeferatur? anue

Comparationis huius usus in successione ab intestato declaratur.

anue nepos ex filio filiae Regis? Vterius, an minor nepos ex filio, nepoti maiori ex filia? an nepotis ex maiore filio, filio minori? & denique, an filius fororis anteferendus filiae fratris? anque filia fratris maioris, fratri minori? Haec enim sunt illustria illarum comparationum exempla, quae cum in successionebus frequentissima sint, dubiaque haud leuia vtrinq; secum vehant, attingenda sibi censuit HUGO GROTIUS * Sed ex vno diiudicari facile potest, quid de reliquis sit statuendum. Sic nepos cum filii instar sit, eademque rationes, quae ad amandos filios impellunt parentes, ad nepotes etiam amandos eos permouere & possint & soleant, omnino & hic locum habebit, quod supra * asseruimus, vt liberorum inter se, ita & liberorum ac nepotum eandem profusus esse conditionem. Cum vero si a naturalibus discedamus & communibus, speciales esse queant rationes, cur vnum ex filiis parentes magis diligant, aut eum reliquis praeferant, in iis sane quae ex parentum voluntate pendent, res omnis ad illorum arbitrium redit, possuntque nepotem praeferre filio: si non pendeat a voluntate parentum, sed alterius, populi videlicet aut aliorum, tum sane cuiusque is praerogatiuam successione concesserit, hic illum sine alterius iniuria obtinebit, meritoque tuebitur. Paucis; naturaliter nepos in locum filii succedit, cum ius illud, quod vocant repraesentationis, omnino naturali aequitati sit conueniens, & eousque eiusdem cum reliquis liberis est conditionis; praerogatiuam autem si pater habuerit, siue parentum consensui, siue legibus fundamentalibus, siue populi voluntati innixam, merito sibi quoque vindicat, asseritque. Ex quo colligas, in regnis, in

* de I. B. &
P. lib. II. cap.
VII. §. XXX.
seqq.

* §. XXX.

qui-

quibus primogeniti successio recepta est, & subito in locum exclusa non est, omnino nepotem ex filio priori, filio posteriori praefendum esse, saltem naturam ipsam huic successionis ordini non aduersari. Quando itaque HUGO GROTIUS dicit: *in regnis vero haereditariis indiuiduis, ubi subitio in locum exclusa non est, neque semper nepos, neque semper filius secundogenitus praefertur, sed uti inter pares, quippe iuris effectū quoad gradus adaequatos, potior erit is qui aetate praecedit*, hoc eiusmodi est, ut non statim assensum promereri videatur. Etenim si in regnis istis haereditariis subitio in locum exclusa non est, nepos patris omnino gaudet praerogatiua. Per hanc autem, si primogenitus vel maior natus, quod tantisper ponere liceat, succedere consueuerit, dubium non est, quin & nepos praefendus sit filio secundogenito. Concedit enim GROTIUS, subitionem in locum naturali iuribus aequitate, ponit etiam in regno de quo loquitur, eam non esse exclusam. Posita autem ista repraesentatione seu subitione in locum, citra controuersiam sequitur, non habita aetatis etiam ratione, nepotem anteponendum esse filio secundogenito. Sed quod GROTIUM in hanc sententiam induxit, hoc est, quod in regnis haereditariis in priuilegium aetatis non succedatur. Ad quod tamen forte regeri possit, subitionis in locum hanc esse indolem, hanc naturam, ut qui patris locum obtinet filius, omnino etiam hoc ipso aetatis priuilegium consequi censetur. Quod autem porro in disceptationem venit, an fratris maioris filius praefendus sit fratri minori superstiti, id quidem dubio caret. Haec enim comparatio si intuitu ultimi regis instituat, tum quidem is filium fratri facile

E

cile praetulerit : reliqui autem ad salutem & quietem imperii, statum reipublicae, aliasque rationes ciuiles, quae in censum veniunt, quoties de successione in regnis sermo est, respicient. Et ita in reliquis etiam se res habet, de quibus quidquam addere, superuacaneum duco.

*Exemplum
singulare ex
Herodoto
accuratius
expenditur.
* Lib. III.
cap. CXVIII.
CXIX.*

§. XXXIV. Priusquam vero hinc digrediamur, memorabile admodum nobis occurrit exemplum, quod suo iure hic locum postulat, legiturque apud HERODOTVM.* Intapherne Persa a Dario Hytaspis cum familia ad necem damnato, vxor tandem a Rege obtinet, vt vnum ex propinquis, quem vellet, eligeret, a morte liberandum. Haec posthabito marito ac liberis fratrem elegit, causata, alium se maritum & liberos, sed nullum fratrem obtinere posse, quippe parentibus suis dudum mortuis. Darius responsio mulieris delectatus non tantum fratrem, sed primogenitum filium vitam donauit. Iuuat hac de re ipsum audire HERODOTVM. Tunc vxor Intaphernis, inquit, ad regios fores accedens plorabat atque lamentabatur. Id assidue faciendo ad sui misericordiam Darium cum adduxisset, misso ad eam nuncio, rex inquit, mulier, offert tibi Darius vnus electionem ex vinctis domesticis tuis quem velis liberari. Illa postquam secum deliberauit, ita respondit: si vnus omnino animam rex mihi gratificatur, eligo ex omnibus fratrem. Haec audiens rex, miratus huius orationem, misso nuncio, inquit, percunctatur te rex qua de causa viro filisque praetermissis fratrem elegisti vt superesset, qui remotiori abs te est gradu quam filii, & minus iucundus quam maritus. Cui illa respondet: εἰ, βασιλεῦ, ἀνὴρ μὲν μοι, ἀν' ἀλλοῦ γένετο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα ἐν ταῦτα ἀποβαλοίμην. παρὰ τῶς

τὸς δὲ ἢ μητρός ἐν ἔτι μὲν ζώντων, ἀδελφὸς ἂν ἄλλ. ☩
 ἔδει τῶσπι γένοιτο. *Maritus, Rex, mihi alius si daemon*
voluerit, atque alii liberi, si bos amifero, esse possunt: alius
frater, parentibus meis iam vita defunctis, nulla ratione po-
test esse. Iniquissimam fuisse mulieris optionem, & ex
 prauo affectu profectam, ego nullus dubito. Electi-
 onis enim ratio non ex difficultate recuperandi, sed po-
 tiori ac iustiori causa amandi, petenda erat. Nec fra-
 trem solum non poterat recuperare, sed nec Intaphernem,
 nec Intaphernis filium: igitur vtrinque eadem
 difficultas.

§. XXXV. Cognatos atque propinquos excipi-
 unt amici, immo cum illis in comparationem adducti, du-
 biam adhuc reddunt palmam. Prope ab hac sententia
 abesse videtur M. TVLLIVS CICERO,* qui post cog-
 natos amicorum iniciens mentionem: *sed omnium,*
inquit, societatum nulla praestantior est, nulla firmiter, quam
cum viri boni moribus similes, sunt familiaritate coniuncti.
 Et paucis interiectis: *nihil autem est amabilius, nec copu-*
latius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim
eadem studia sunt, eademque voluntates, in his fit, ut
aeque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficiturque id,
quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.
 De vera amicitia, quin loquatur CICERO, nullum est
 dubium. Per hanc enim tam arcte demum animi
 colligantur, ut id quod Pythagoras dixit, locum habere
 queat. Haec vero pro fructu verae felicitatis reputan-
 da, nec nisi in emendatae voluntatis homines cadit.
 Qui enim adhuc se ipsum supra omnia amat, qui ad
 suam libidinem, avaritiam, ambitionem, cuncta refert,
 hunc tu credas, alium sincero affectu prosequi posse?

De amicis:
natura ami-
citiae.
 *l.c.



Fallere te potest simulatione amoris, amicitiae specie:
fallere & se ipsum potest, ut se amicum tibi esse putet:
amare ita, ut decet amicum, non potest. Ipsi ethnici
hoc quodammodo intellexerunt, magno consensu do-
centes, non nisi viros bonos & virtuti deditos colere
inter se amicitiam posse. Elegantissima hac de re ex-

* ad Epicteti tant SIMPLICII verba, * quae non possum non hic
cap.

recitare: τὸ δὲ μέγιστον καὶ μάλιστα θεῶν αὐτῆς χρεῖμα ἀγ-
XXXVII. p. νοῖται, ὅτι ἡ καθαρά Φιλία τὰς Φίλας ψυχὰς εἰς ἑνώσιον συν-
m, 207, 208. ἀγασσα μελέτη καλλίστη γίνεται τῆς πρὸς θεῶν ἐνώσεως. καὶ
γὰρ ἀδύνατον τῆς πρὸς τὰς ὁμοφύλους ψυχὰς κρείττονος ἐνώ-
σεως τυχεῖν. καὶ καλῶς οἱ πυθαγόρειοι περισσῶς τῶν ἄλλων
ἀρετῶν τὴν Φιλίαν ἐτίμων, καὶ σύνδεσμον αὐτῆν πασῶν τῶν
ἀρετῶν ἔλεγον. καὶ μίας γὰρ ἥς τινος ἐν τῶν ἀρετῶν ἀπο-
λειπομένης, ἐν ἐθείλει παραγίνεσθαι Φιλία. τίς γὰρ ἀδικῶν,
ἢ ἀκόλαστον, ἢ δειλόν, ἢ ἐπὶ μάλλον ἀνόητον, δύναται τὸ
τῆς Φιλίας ἀγαθὸν ὑποδέχεσθαι; καὶ ἢ τὸν βεβλόμενον εἶναι
Φίλον καθάσειν ἑαυτὸν, ὡς ἡ δόναυς, ἀπὸ τῶν ἀλόγων τῆς
ψυχῆς παθῶν, καὶ τότε τὸν ὅμοιον ζητεῖν, καὶ ἐυζόντα περιπτύ-
σεσθαι, τὸ ἡμῶν τὰ ἑαυτῶν εὐσημεῖαι νομίζοντα, κατὰ τὸν ἀρι-
στοφάνους μῦθον. Quod verò in ea maximum est, maxime-
que diuinum ignoratur: quod sincera amicitia mentes ami-
corum in unum contrahens, meditatio pulcherrima est diui-
nae coniunctionis. Neque enim fieri potest, ut ad geniorum
& Dei coniunctionem perueniatur, nisi ea, quae est inter co-
gnatos animos, antecesserit. Recte igitur Pythagoraci prae
aliis virtutibus amicitiam coluerunt, eamque vinculum esse
omnium virtutum pronuntiarunt. Nam si una quaeuis ab-
fuerit virtus, adesse recusat amicitia. Quis enim iniustus
aut intemperans aut timidus, ac magis etiam, vaecors, boni
quod est in amicitia, capax esse queat? Debet igitur, qui
amicus esse vult semet ipsum repurgare, quantum fieri po-
test,

test, a brutis affectibus, ac tum sui simile quaerere: idque inuentum amplecti, quasi dimidio animae suae, alteraue corporis sui parte reperta, secundum fabulam Aristophanis. Similia & alii ex veteribus de amicitia habent: * de qua altum apud recentiores doctrinae moralis magistros silentium, forte quod cum re ipsa, vera quoque amicitiae imago periit, & ex animis hominum sit deleta.

§. XXXVI. Monendum vero illud omnino hic fuit, eo quod, si forte dubium aliquod in amicorum, cum aliis hominibus comparatione oriatur, hoc tantum de vera amicitia intelligi queat. De externa enim amicitiae specie si hoc capias, vix est, quod quis ambigat, aut ambigere possit, non magnum adeo hanc momentum trahere, nec venire admodum in censum, siue ex rei veritate hoc aestimes, siue ex illorum opinione, qui eiusmodi amicitiam colunt. Illi itaque, qui hoc nomine tituloue digni sunt, aut cum quibusuis aliis, aut cum cognatis, atque propinquis, conferri possunt atque contendi. Si cum illis, qui nullo alio cognationis vinculo nobiscum iuncti sunt, res dubio caret. Non enim video quid obftet, quo minus iis praeferrri & postponendi? disputari forte in vtramque partem possit. Mea sic fert opinio, dispiciendum esse, an praeter generale obligationis fundamentum causa quaedam forte specialis, vt necessitas in eo, cui aliquid praestandum, accedat. Si accedat, quin amici cedant cognatis, dubitari nequit. Ex quo patet, non temere eam rerum faciem oriri posse, vt parentibus & liberis, multo minus coniugibus, praeferre amicos par sit, saltem in iis officiis, quae ex aequo omnibus exhibere tenemur,

* conf. Valerius Maximus lib. IV. cap. VII.

Comparatio amicorum, tum cum aliis, tum maxime cum cognatis.

nec tamen omnibus simul a nobis praestari possunt. Ab hoc autem si discedas, cum aequae iusta causa sit amandi amicos quam cognatos, posse quandoque, si caetera recte se habeant, praeferrī amicos cognatis, ut illorum potius quam horum saluti commodisque consulatur, nullus prorsus dubito.

*In successio-
nibus ab in-
testato ami-
corum nul-
lam haberi
rationem.*

§. XXXVII. In successio-
nibus ab intestato, cognatorum prae amicis semper potior est conditio. Licet enim multae subesse causae queant, cur amicū quis maiori benevolentia & amore prosequatur, quam cognatū, exinde tamen non sequitur, in generali aliqua consuetudine, legis vim imitante, cognatis esse praefendum amicū, etiam aduersus quem defunctus plura amoris indicia exhibuit, quam aduersus istos. Nam in transmittenda haereditate, ut recte SAMVEL PV-

* de I. N. & FENDORFIVS pronuntiat, * non nuda respicitur benevolentia, sed & hoc, in quem nostra transire bona maxime congruum sit. Cum autem communis inter homines propensio ferat, ut familia ex qua quis ortum trahit, sit quam ornatissima, hoc utique quam convenientissimum est, ut bona nostra intra familiam maneant. Recte etiam idem animaduertit, posse aliquem alterius familiaritate impense delectari, in quem tamen non statim velit bonorum suorum deriuari possessionem. Praesertim si amicitiae, uti inter plerosque, hodie est, indolem consideremus, quippe quae quaecunque benevolentiae significatione, & quotidianis vitae officiis absoluitur, nec tam in intima animorum coniunctione, quam cupiditatum ad vnum eundemque finem conspirantium communione consistit. Verae namque amicitiae exempla facilius in philosophorum scriptis,

scriptis, quam vita hominum reperias. Accedit vero, quod plurimae & nunquam finiendae inde secururae essent lites; cum facile quisque pro defuncti amico se iactitare possit: cognatum nemo temere se venditat, aut si venditauerit, conuinci criminis haud difficulter potest. Ne quid nunc de eo dicam, quod cognationis numerare gradus in promptu sit: amicitiae autem gradus quis in talem disponet ordinem, vt nihil dubiae diceptionis remaneat? Immo quod maximum est, ne indoles quidem verae amicitiae eiusmodi quid exigit: nisi mercenariam amicitiam quis pro vera reputauerit. Ego vero amicum, qui commodi cuiusdam consequendi causa amicus est, non magnifacio, sed nec quisquam vir sapiens, vti ego quidem existimo.

§. XXXVIII. Forte illos saltem amicos, quorum liberalitate, consilio, aut subsidio, bona ista fuerunt quaesita, praefereudos ceteris esse, aliquis existimauerit. Aequum enim esse, vt bona eo redeant, vnde promanarunt. Sed quid & hic respondendum sit, iam demonstrauit PVFENDORFVS.* Non deerit, inquit, & hic vberissima litium materia, ad quam praescindendam omnia iura potissimum tendere debent. Regeri enim amico poterit, ipsum beneficium non dedisse, sed reddidisse, vel ipsi iam sat gratiae relatum. Dedisse eum citra spem aliquid recipiendi, eoque animo, vt non amico solum, sed & ipsius amicis prodesset. Dedisse gloriae aut commdi sui gratia. Non defuisse occasionem aliis medijs emergendi. Non liquido constare, quantum eius opera ad bona ista cumulanda contulerit. Neque statim in communionem rei partae admittendum, cuius opera vtili in re illa vti sumus, & quae

*Nec illorum
qui magna
in nos con-
tulerunt be-
neficia.
* l. c. §. XVI.*

quae sunt alia, eiusdem generis. Duplici fateor eiusmodi amicus nititur fundamento, & amicitiae, & animi grati.

Huius autem iam ceteroquin tanta sapientum iudicio est sanctitas, ut nihil turpius, nihil execrabilius illis sit homine ingrato. Et ARISTOTELES *
 * Nicomachicor. lib. IX, cap. II. esse haud obscure innuit: *εὐεγγέτη ἀνταποδοτέον χάριν μᾶλλον ἢ ἕταίρω δότεον, ἐὰν ἀμφοῖν μὴ ἐνδέχεται. Beneficentia reddenda magis gratia quam sodali dandum, si utrisque non liceat.*

Cui & plerique ex philosophis, si non omnes, adstruuntur. Sed quantacunque sit geminatae etiam obligationis efficacia, tanta tamen non est, ut illi praeponderet, quae officio aliis prospiciendi, necessitudine sanguinis, & naturali ad familiam augendam & conservandam propensione nititur. Non erit alia ista obligatio, quae ex amicitiae ac grati animi lege oritur, quam imperfecta, cum contra quae cognatis nos prospicere, eorumque consulere commodis iubet, maximam partem perfecta sit. Etenim quod IO. HENRICVS BOECLERVS *
 * in diff. actio ingrati

euincere sustinuit, perfectam etiam animo ingrato subesse obligationem, id magis demonstrandi ingenii causa, quam ex rei veritate scripsisse creditur. Perfectae autem obligationi quod imperfecta cedat, nemo, nisi harum rerum plane rudis, inficiatus fuerit.

§. XXXIX. In mentem vero hic venit, quod Dubium ex Matth. V. 46. mouetur, *quam mercedem habituri estis? annon vel publicani idem faciunt? & si vestros duntaxat fratres salutatis, quid egre- responderetur. Num facitis, nonne vel publicani similiter faciunt.* Matth. V. 46. Id quod si prima fronte consideretur, totam nostram de obligatione comparationum labefactare vide-



videtur disputationem. Videtur enim hic sensus esse: omnes ex aequo diligendos, nec fratres aut cognatos reliquis præferendos esse. Sed recte intellecta hæc verba amoris ordinem neutiquam tollunt. Namque eos saltem redarguit seruator, qui amoris officium ex affectu aut commodis suis, non autem ex voluntate Dei metiuntur. Cumque hoc plerique faciant, cognatos saltem aut amicos amant, reliquos negligunt. Quos peruerse agere manifestum est. Amandi enim omnes sunt, si recte amare cupis, nulla commodorum, nulla utilitatis, nulla naturalis affectus habita ratione, sed tantum ideo, quia Deus hoc iubet. Naturalem autem cum hinc excludimus affectum, non hoc ita intelligendum, ac si prorsus is extirpandus sit, quod fieri nequit, nec semper necesse est, cum naturalem v. g. affectum liberorum erga parentes nemo damnauerit, sed quod eum voluntati diuinæ subiiciendum, & ad illam exigendum esse statuamus. Proinde ex eo etiam colligendum, quem in amando seruare debeamus ordinem iuxta Numinis præscriptum: & hunc si sequamur, vt saltem Numinis iussui obtemperemus, simulque secundum illius præscriptum omnes ex aequo amare parati simus, nihil facimus, quod hominis christiani officio repugnet. Et hoc demonstrandum ideo fuit, vt constaret, nihil nos hic tradere, quod cum sanctissima christianorum disciplina consistere nequeat.

§. XL. Quae disputauimus hætenus, de naturali *Comparatio*
 propinquitate intelligenda sunt, cui cum moralis inter- *dominorum*
 dum accedat, noua hinc obligationes inter se conten- *& cognato-*
 dendi oritur ratio. Documento serui esse possunt, qui *rum ratione*
 & dominis suis, & etiam cognatis, parentibus, coniugi- *seruorum.*
 F bus,

bus, fratribus, ceteris, sunt obstricti. Si ergo cum domino cognati eius concurrant? quem anteponere debeat alteri, ambiget merito. Equidem inaequali existente parentum eius, fratrum, consanguineorum, atque heri necessitate, quin huic prae illis succurrere debeat, dubio fere caret, cum id finis societatis herilis exigat, in quam dum concessit, domesticae valedixit. Accedit vero, quod parentes, fratres, ceterique consanguinei, cum veluti consenserint, ut qui ista cognatione illos attingit, in societate herili viueret, in reliqua etiam quae hanc societatem consequuntur, consensisse censeantur. * Id vero de iis officiis intelligendum omnino est, quae domesticae societati velut propria sunt, & in quibus adeo seruus a voluntate & imperio domini pendet. Vnde & quid de contractibus seruorum, quos factos aut non factos esse, & domini & cognatorum interest, existimandum sit, patet. Etenim dispiciendum, quousque per domini voluntatem seruo contrahendi libertas sit concessa, & hinc de tota re statuendum. Hac si penitus se abdicauerit, aut se abdicare debuerit, cedant cognati domino necesse est, si quidem hic sua sponte a suo discedere iure nolit. In iis vero rebus, quae ad herilem societatem non spectant, praesertim si maior cognatorum, quam domini sit necessitas, salua semper manet illorum praerogatiua, fortius censetur naturale cognationis vinculum, prae morali, nisi forte consensu aperto, ut illud huic cedat, constitutum fuit atque definitum.

* *add. Zent-
gravius in
summa iuris
diuini p. 668*

*Vicinorum
cum reliquis
ciuibus.*

§. XLI. Iam ut reliqua prosequamur, post cognatos & amicos se offerunt ciues, quanquam nec horum vna eademque est ratio. Vicinos enim ceteris prae-

praefereudos esse & aequitati videtur conueniens, & plurimi ex ipsis agnouerunt ethnicis. Praeclare & egregie iterum hac de re differit SIMPLICIVS* cuius ^{* l. c.} verba, ne prolixi nimis simus, latino tantum idiomate proferemus. *Ciuis autem, si etiam vicinus fuerit, aliquanto arctiori devincitur necessitudinis vinculo. Ut enim urbem eandem, & familiam eandem non temere neque fortuito consequimur, sic nec eundem urbis locum communi quadam ratione sortimur. Maior itaque benevolentia & familiaritas vicino debetur, quam ciui: quaeque de ciue dicta sunt, vberius & cumulatius in vicino obseruantur, eique & communicantur, & accepta referuntur, quae possunt omnia. Rebus eorum secundis gra. ulandum, aduersis ingemiscendum, aegrotantes tanquam domestici curandi, & in omnibus aliorum congressibus declarandum, se vicino in re nulla iusta defuturum, pro virili adiutendo. Denique turpe habendum & erubescendum est, vicinum ei in re ab aliis adiutum fuisse, qua adiuuari a nobis potuisset. Est hic maximopere laudandum, quod tam exquisitum diuinae prouidentiae sensum praeseferat SIMPLICIVS, ut credat, nec illud temere atque fortuito contingere, quod attinet, certa urbis parte habitat. Ad rem ipsam quod attinet, manifestum est, cum nos plura humanitatis officia a vicinis plerumque & percipiamus & expectemus, quam a reliquis ciuibus, nos ex ipsa animi grati lege, etiam arctiori quodam vinculo illis esse obstrictos.*

§. XLII. Cum amicis & cognatis vicinos in comparationem deducunt HESIODVS* atque TVLLIVS, parumque abest, quin vterque pro vicino pronuntiet. Ille quidem ita rem effatur:

F 3

*Eorundem
cum cognatis
& amicis.
* Op. & dies.
p. m. 248. e.
dit. Clerici.*

τὸν Φιλέοντ' ἐπὶ δαίτα καλεῖν τὸν δ' ἐχθρὸν εἶσαι
 τὸν δὲ μάλιτα καλεῖν, ὅς τις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
 εἰ γὰρ τοι τὴ χεῖρ' ἐνχώριον ἄλλο γέννηται
 γείτονες ἀζοσοὶ ἐμῖον, ζώσαντο δὲ πηοί.
 πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ
 ἐμίμητέ τε τιμῆς ὅς τ' ἐμίμοι γείτονος ἐςθάξ.
 ὅδ' ἂν βῆς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη

*Amicum ad conuiuium reuocato, inimicum vero relinque;
 Eum autem potissimum vocato, quicumque te prope habitat:
 Si enim tibi aliquod negotium rusticum inexpectatum
 eueniat,*

*Vicini discincti accurrunt, cinguntur autem cognati.
 Noxa tam magna est malus vicinus, quantum bonus com-
 modum,*

*Nactus est rem bonam, quicumque nactus est vicinum bonum
 Neque bos interierit, nisi vicinus malus sit.*

*cap. XVIII. CICERO autem * suam ita hac de re aperit sententiam:
 p. 133. *sunt officia, quae aliis magis quam aliis debeantur: ut vi-
 cinum citius adiueris in fructibus percipiendis, quam aut
 fratrem aut familiarem: at si is in iudicio sit, propinquum
 potius quam amicum, quam vicinum defenderis. Immo ipse
 Rex sapientissimus haud procul hinc discedit: melior,
 inquit, est vicinus proximo, quam frater procul ha-
 bitans. Prouerb. XXVII. 10. Recte vero TULLIUS ipsas
 probe a se inuicem praestationes discernendas esse cen-
 set. Generatim namque ob arctius naturae vinculum,
 magna fratris prae vicino remanet praerogatiua. Ast
 quaedam sunt vitae humanae momenta, in quibus vel
 ob ipsam officiorum indolem, & necessitatem, fratribus
 & cognatis praefereendi sunt vicini. Quo magis enim
 aliorum nobis necessaria est opera, eo gratior nobis,
 merito*

133
 133
 133
 133

merito est , & eo magis etiam ad eam grato animo agnoscendam sumus obligati. A fratre autem si ea praestari nequeat, similem autem operam vicinus a nobis exigat, quis dubitet, quin hoc saltem respectu vicino magis obligati simus, quam fratribus atque cognatis? Et hoc est quod sibi voluit TVLLIVS.

§. XLIII. Est vero & hospitium hic iniicienda *Hospitium*,
 mentio, quos iuxta veterum consuetudinem, cum *quae sit*
 multis aliis, immo ipsis cognatis comparationem quan- *ratio?*
 doque subire constat. Etenim vt barbarum plane, &
 inhumanum, illis videbatur, aut non admittere peregrinos, hospitiumque denegare, aut admissos vlla ratione laedere: ita sanctissimum aliquod necessitudinis & amicitiae ius, ex hospitio oriri, contendebant. * Ad * *conf. I. P.*
 maximum scelus fatis erat, hospitalis iuris migrasse le- *Tomasinus*
 ges. Tale quid qui commiserat, ab eo nihil tam im- *de Tesseris*
 mane tam foedum esse, quod non metuendum puta- *cap. VII. & X*
 bant. ARISTOTELES reliquis amicitiae speciebus
 hospitalitatem diferte praefert: * *βεβαιωτάτη δ' αὐτὸν δόξειεν * Magnor.*
εἶναι τῶν Φιλῶν ἢ ξενιῶν. ἔ γάρ ἐστιν ἐδὲν αὐτοῖς τέλει καὶ νομι- Moral. lib.
νόν, ὑπὲρ ἢ ἀμοιβωτικῶν. ἔστιν ἐν τοῖς πολιταῖς. Amici- II, cap. XI.
tarum hospitalis validissima videtur. Neque enim vllus
 HOMERO * hospes potior fratre est: *ἀντὶ κασιγνήτης * Odyss. 9*
ξείνος δ' ἰκέτης τε τέτυκται. Ante fratrem hospes & supplex
 habetur. Ratio inde potissimum petenda, quod peregrini alienae opis maxime sint indigi, cumque ad nos accedentes singularem de nostra humanitate opinionem prodant, turpe esset, se ipsos indignos ista opinione reddere, eumque laedere, qui amico beneuolue in nos est animo. Necessitas autem huius officii
 anti-

antiquis temporibus eo maior erat, quo maior erat ho-
spitum indigentia, nullis fere in vrbibus existentibus
diuerforiis, quibus pro iusto pretio peregre aduentan-
tes exciperentur. Hinc & Apostoli ipsi τὴν φιλοξενίαν
εἰς ἀλλήλους magnopere commendant. Rom. XIII. 13. Ebrae-
or. XIII. 2. I. Petr. IV. 9. Hodie quidem constitutis v-
bique diuerforiis, hospitalitati vix locus esse multis videri
poterat: sed qui cogitauerit, quod diuerforia ista & cau-
ponae plerumque nihil aliud quam flagitiorum sint
officinae, & scelerum domicilia, in quibus quisque im-
pune quiduis & dicere & facere fas esse putat, vt nihil
molestius honestis viris accidere possit, quam vel ho-
ram in iis commorari, aliter facile iudicauerit. Vnde
profecto si rem rite ponderemus, non minor hodie ho-
spitalitatis necessitas existit, quam olim fuit. Recte

* in differ-
tat. de iure
hospitii ma-
nuduitioni
eius ad ve-
ram iuris-
prudenc.
subnexa §.
XII.

Comparatio
eorum cum
cognatis.
** lib. V.
Noel. Attic.
cap. XIII.

eximius ille Iure-consultus IO. SCHILTERVS: *
multis scandalis atque flagitiis medela foret inuenta, si loco
cauponarum & meritoriorum hospitiorum, amicitiae hospi-
tales & hodie inter Christianos frequentarentur.

§. XLIV. Iam quod ad comparationem hospi-
tium cum aliis attinet, auctore AVLO GELLIO ** con-
ueniebat facile, constabatque, ex moribus populi Roma-
ni, primum iuxta parentes locum tenere pupillos de-
bere, fidei tutelaeque nostrae creditos: secundum eos
proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fi-
dem patrociniumque nostrum dederunt; tum in ter-
tio loco esse hospites; postea esse cognatos affinesque.
Testimoniis hoc GELLIVS comprobatur, ex quibus ma-
xime ad nostrum institutum facit illud MASSVRI SA-
BINI: in officiis apud maiores ita obseruatum est, primum
tutelae, deinde hospiti, deinde clienti, tum cognato, postea af-
finiti.

fini: de qua causa feminae viris potiores sunt habitae, pupillarique tutelae muliebris praelata; etiam aduersus quem affuissent, eius filii tutores relictī in eadem causa pupillo aduerant. Postpositos parentibus & liberis fuisse hospites, nemo mirabitur, cum arctiori haud dubio vinculo cum parentibus & liberis colligemur, quam cum hospiti- bus. Obstare tamen videretur exemplum sanctissimi viri LOTI, qui filias ciuium impetu in domum ruentium libidini offerre potius decreuit, quam vt hospites illorum permitteret furori. * Hospites ergo praetulit filiarum famae, & pudori, consulere maluit. Quo ipso tamen aliquid humani eum passum esse, nonnulli ex Theologorum ordine iudicant, ex veteribus quidem AVGVSTINVS ** ex recentioribus autem IO. GERHARDVS. *** Eiusmodi ergo hoc esset, vt in exemplum trahi non posset. Sunt tamen qui mitius de sanctissimo viro pronuntiant, **** eumque excusandum censent, quod forte sciuerit, non ausuros Sodomitas quod offerebat accipere, quia filiae eius, vt in sequentibus Moses docet, duobus Sodomitis ciuibus, forte principum filijs, erant desponsatae. Perditissimos autem mortalium quamquam effrenis libidinis, suis tamen parcere, cum se incolumes non esse, nisi erga suos saltem societatem custodiant, facile intelligant. Forte tamen & hoc animo hic reputandum iidem putant, nisi Lotus acerrime Sodomitis restitisset, serioque hoc a se fieri ostendisset, suspectum haberi potuisset proditorum hospitem. Itaque ad extremum potius remedium deuenisse, quam vt eiusmodi a se a noliri suspicionem nollet. Quicquid huius sit, imitandum non esse hocce viri faci-

* Genes. XIX. 8.
** cōt. Mendac. ad Con- sent. cap. IX.
*** Com- ment. in II. Ep. Petr. cap. II p. 232.
**** vid. Io. Clericus comment. in Genes. l. c.



facinus consentiunt omnes; adeoque parentum libero-
rumque prae hospitibus praerogatiuam non labefactat.
Ad ceteros autem cognatos quod attinet, vix ex veteri-
bus fuerit, qui eos non postponat hospitibus. Ipsi-
us PYTHAGORAE fertur sententia: *Ξένος ἀνὴρ δίκαιος, εἰ
μόνον πολίτης, ἀλλὰ καὶ συγγενῆς διαφέρεται. Hospes vir bonus
non tantum civi, sed & cognato praeferendus.* Nec tamen
illud ita capiendum, ut semper & ubique hospes potiori
apud nos loco sit, quam cognati. Discernenda scilicet
ipsa sunt officia. Quaedam utrisque communia sunt,
quaedam specialia, & cognatis velut propria, quae ex
ipso sanguinis & affinitatis vinculo resultant. In istis
quod olim, admissa ista hospitiorum ratione, quae apud
veteres fuit, hospitibus postpositi sint cognati, non re-
prehendo: in his ad quae & successiones pertinent, quin
semper fuerit, esseque debeat potior cognatorum prae
hospitibus conditio, dubitari nequit.

§. XLV. Deduxerat AVLVS GELLIVS & apud
eum MASSVRIVS SABINVS cum hospitibus in com-
porationem clientes. Iuvat & hac de re paucis dispi-
cere. Apud Romanos namque eo loco clientes erant,
ut cum propinquis & cognatis pari ambularent passu,
si non prorsus anteponerentur. Alibi idem GELLIVS: *
*clientem in fidem acceptum cariorum haberi quam propin-
quos, tuendumque esse contra cognatos populus Romanus cen-
suit.* Neque peius ullum facinus existimatum est, quam si
cui probaretur clientem derisui habuisse. Immo sunt non-
nulli, qui asserunt, tantae auctoritatis fideique patroni
fuisse munus, ut si vel in minimo deseruisse, aut negle-
xisse clientem suum conuinceretur, Diti sacer praeua-
** *conf. Di-* ricator esset, ac a quouis impune occideretur. ** AVLVS
ita-

*Et cum cli-
entibus ex-
mente vete-
rum.*

* *lib. XX.
cap. I.*

** *conf. Di-*

ita-

itaque GELLIVS in tertio iuxta parentes loco esse hospites, in secundo clientis, constare ex moribus populi Romani ait. MASSVRIVS tamen antiquiorem locum hospiti tribuit, quam clienti. Et huic iuffragari videtur TVLLIVS: *** *clarissimi viri nostrae civitatis temporibus optimis hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus suis clientibusque ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani ditionemque essent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere.* Ast recte obseruat IO. SCHILTERVS* ex hoc loco nihil certi de sententia TVLLII exsculpi posse, cum nec ex instituto hic de ordine inter hospites & clientes quaerat, & praeterea non de quibusuis clientibus, sed iis tantum, qui ab exteris venissent nationibus. Utitur equidem CICERO & alibi eodem ordine: * *in omnibus publicis, priuatis, forensibus, domesticis; tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotiis &c.* Sed an deliberato consilio hunc ordinem elegerit, incertum: praesertim cum alibi alio vtatur, vt idem IO. SCHILTERVS erudite obseruauit. Mihi rursus ita videtur, officia ipsa eorumque causas esse discernendas, posseque aliquando clientis prae hospite, interdum hospitis prae cliente, potioem esse conditionem. Sed hodie cum & clientelae & hospitii longe alia ratio sit, vt de his admodum solliciti sumus, necesse non est.

§. XLVI. Sunt vero variae in ciuitate societates, ex quibus certus hominum status oritur, & praeter naturales quidem, de quibus antea diximus, aliae in ciuitate societates minores existunt, subiectae tamen ciuili & ab ea originem trahentes, quae collegiorum nomine venire solent. In his qui sunt constituti, ob communia

onyf. Halicarnass. lib. II. p. 132.

Suetonius in Iul. Caes. cap. LXXI.

**** Diuinat. in Q. Caecilium.*

** l. c.*

** lib. V.*

Fam. VIII.

Collegiarum iura, eorundemque cum reliquis ciuibus comparatio.

istius societatis commoda, ob frequentiora vitae commercia, & mutuam, quam quisque alteri speciali quadam ratione praestare & potest, & solet, operam, aliasue ob causas, arctiori inter se, quam cum aliis ciuibus vinculo, merito censentur colligati. Ergo & in comparisonem cum illis deducti, modo aliae causae grauiiores non obstant, illis omnino praeferendi videntur. Est tamen hoc, vti & cetera, quae haecenus disputauimus, ita intelligendum, vt commoda integrae societatis discernamus a commodis singulorum in ista societate constitutorum, & si in singulis ipsius societatis habenda est ratio, hoc ea demum ratione fiat, vt minores maioribus, & maiores, generi humano subordinentur, & per singulorum conseruationem minoribus societatibus ita consulatur, ne noceatur maiori, maiori ita, ne maxima illa, quae inter omnes omnino homines intercedit, vllum inde capiat detrimentum.

Comparatio patriae, & parentum, reliquorumque cognatorum. §. XLVII. Quod vero diximus, commoda singulorum postponenda esse commodis integrae societatis, id vel vnico comprobandum est exemplo. Non hodie demum aut nudius tertius disputari coepit, si cum cognatis aut parentibus ipsis contendatur patria, quae hic officionum nostrorum sit ratio. CICERONIS sane iudicio, patriae cuncta cedunt.

* lib. I. de offic. cap. XVII.

Cum omnia, inquit, ratione animoque lusfraueris, omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est vnicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria vna complexa, est. In eam itaque ingrediuntur sententiam, non tantum si vtrisque & patriae & parentibus succurri nequeat, hos postponendos esse illi, sed

&

& pro patriae defensione posse filium vim sine scelere inferre parentibus. Idem rursus TVLLIVS, ** cuius & plerique ex Theologorum ordine decreta adprobant: *Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit: minabitur etiam. Ad extremum si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem ante ponit patris.* Manifesta assertio haec nititur ratione, & admodum luculenta, multos vni, & plures anteponendos esse paucioribus. Adeoque & eidem non retragabor, modo per patriam ea intelligatur respublica, in qua vivimus, & causa insuper non iniqua sit, in qua patria operam nostram postulat. Nullatenus autem excusandi, qui patriae salutem obtentui sumunt, ut in parentes, aut cognatos, sibi contumeliosus & iniuriis esse liceat. Quod a Nerone forte factum, occidente matrem, quem tamen excusat ARNOLDVS CLAPMARIUS: * *Ac nescio, inquit, annon aliquo pacto excusari possit Nero de caede matris. Consideranti enim mihi historiam totam, occurrunt multa scelera & affectati regni indicia: velut quod praeter alia tribunos & centuriones comiter excepit, quod nomina & virtutes nobilium in honore habuit, quod ducem quaesivit & partes, aliaque id genus arcana dominationis inuasit. Immo ipse Burrhus & Seneca, teste Cornelio Tacito eo descensum credebant, ut nisi praeveneretur, Neroni pereundum foret. Sed Neronis, immo principum Neroni similium indolem ignoret prorsus necesse est, qui hoc sibi persuaderi patiat. Nihil quippe his solennius, quam patriae commoda, reipublicae ostentare vtilitatem, ut nunquam desit, quod suis obtendant cupiditatibus. Timoleontis forte, cuius idem CLAPMARIUS memi.*

** lib. III. de offic. cap. XXIII.

* de arcanis rerumpubl. lib. IV. cap. XX.

meminit, rectius huc retuleris exemplum. Hic fratrem suum Timophoontem, qui tyrannidem moliebatur, multisque adeo viris magnis in republica extrema quaeque minitabatur, ne quidquam monitum vt abfisteret, confodi confestim iubet, & quidem intra parietes. Cuius rei cum Timoleontem poeniteret, & idcirco se a publicis negotiis subduceret, Teleclides eum vehementer increpans: *Si inquit, decertaueris praeclare, tyrannum te occidisse arbitrabitur, sin minus, fratrem. Auctor sane eum excusat, quod non fratris odio id fecerit, sed incredibili amore patriae, neque tam priuata, quam publica auctoritate pollens. Ceterum solenne, quod diximus, admodum esse, vt haud raro patria πείρασιν hominum cupiditatibus praebeat, multis comprobari documentis possit. Illustre cum primis illud est, quod historia Henrici IV. Imperatoris praebeat, cuius filius in patrem insurgens, patriae commodis salutem parentis postponere pulcherrimo facinore sibi visus est, vel saltem eiusmodi quid a pontifice sibi persuaderi passus est. Id quod cum non temere quisquam ignoret, pluribus edisserere non attinet.*

*Itemque
principis, &
parentum
cognato-
rumque.*

§. XLVIII. Similis vero & ipsorum principum, & omniumque imperantium, ac ipsius patriae est ratio. Omnis namque societatis cuiuscunque salus consistere in capite eius videtur, qui societati praeest. Nec hanc laedere quis censetur grauius, quam qui illi vim infert, cui se ipsos & omnia sua concredidere omnes. Quare & principis & patriae eadem esse ratio videtur, & vbi-
cunque hanc parentibus & cognatis praeferimus, illum postponere nefas esse existimatur. Res ista, nostra quidem aetate constat, quae adulationis spiritu oc-
coeca-

coecata, nihil non principibus tribuit, diuina humana illorum pedibus subiicit, plane vt olim in patria extolenda, nec finem nec modum faciebant Romani, saltem populo vt placerent, quas scribebant, fabulae. Quo ipso nihil sanctitati aut dignitati principum detractum cupio: quos scio, si cordati sint, ineptas istas hominum non adprobaturos adulationes, verbis quidem valde magnificas, sed factorum plerumque inanes. Quicquid huius sit: res ipsa constat inter omnes. Cumque vulgo doceatur, & suam quisque vitam si vitae principis postponat, recte eum agere (quanquam multos quidem, qui hoc asserant, noui, paucos profecto admodum, qui aut praestent, aut praestare velint, licet singulare admodum exemplum apud IO. SLEIDANVM* oc-
 currat) ecquis dubitaret, parentes, fratres, cognatos reliquos, cedere principi, si, illis saluis, huic non licet esse incolumi? Esse tamen & hic tum ad causam, tum ad grauitatem periculi, ceterasque rationes, quae in omni comparatione in censum veniunt, attendendum, per se patet.

* Comment.
 de statu re-
 lig. lib. XV.

§. XLIX. Et haec quidem, cuiusmodi sint, facile intelligitur. Nunc vero, vt inceptam semel pertexamus telam, ea quoque, quam religio inter homines introducit, diuersitas, consideranda nobis venit, vt quae forte officijs quibusdam inde accedat praerogatiua, cum alijs contendantur, patefcatur. Neque naturalem nunc innuimus religionem, quippe cuius vix quisquam expers videri cupit, vt sua saltem confessione non essent, qui opponi alijs queant, aut si opponantur deducanturue in comparationem, hoc ipso grauissime se laedi non conquerantur: sed de christiana, quam ii, quo-

Diuersitas
 hominum,
 quae ex reli-
 gione oritur:
 fraternitas
 christiana.



quorum gratia haec scribimus, profitentur omnes, nobis instituitur sermo. Per hanc autem in arcetorem, qui illi nomina dant sua, coalescere societatem, & sacra velut cognatione iungi, scriptura sacra nos ignorare, non finit. Ex hac quippe constat, fratres dictos fuisse, qui Christi sanctiorem disciplinam secuti sunt, quam facile credam, si efficacius nomen occurrisset, quo amorem longe ardentiorum, quam fratrum esse solet, exprimere potuissent, illud eos fuisse usurpaturos. Habuerunt autem in hoc magistrum & doctorem, quem sequerentur, optimum, ipsum Christum seruatorem, qui quo animo inter se esse debeant, paucis eos edocuit: *at vos nolite vocari Rabbi: unus enim est rector vester Christus: vos vero omnes estis fratres. Matth. XXIII. 8.* Hinc non tantum frequentissima & longe vilitatissima fratrum, immo & sororum inter Christi discipulos, est compellatio, vt innumeris scriptura sacra testatur locis, speciatim, *Rom. XVI. 10. 13. 15. I. Cor. VII. 12. 15. II. Cor. I. 1. Gal. I. 2. I. Thes. sal. V. 27. I. Io. II. 7. 9. 10. 16. Iacob. II. 15.* sed & a B. Petro Apostolo *φιλαδέλφια*, amor fraternus, ceu excellentior amaris gradus, discernitur ab *ἀγάπη*, amore communi, quo omnes homines prosequimur, & vt prosequamur etiam obstricti sumus. *II. Petr. I. 7.*

Ea ex antiquis ecclesie doctoribus vltimus declaratur.

§. L. Permansisse post Apostolorum tempora adhuc vna cum amore fraternum etiam nomen, luculenta patrum testimonia, ab aliis, qui ex instituto hoc egerunt, collecta, nos dubitare nulla ratione sinunt. Immo vel ethnicorum hoc euinci effatis potest, quibus haec ipsa intimum amorem, arcetissimamque animorum conjunctionem indicans compellatio, vt ad peffima quaeque suspicanda prouisi sunt improbi, ex suis quippe moribus

ribus alios metientes, speciosum calumniae & obrectationis praeiuit argumentum. Impuras enim commixtiones illicitosque amores vt tam proterue Christianis obicerent, non alia magis re, quam innocentissima ista fratrum & fororum compellatione inductos, facile crediderim. COECILIVS apud MINVCIVM: * passim inter * In Oflauio eos quaedam libidinum religio miscetur, ac se promiscue appellat. VIII. p. pellant FRATRES & SORORES vt etiam non insolens m. 28. stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana & demens superstitio sceleribus gloriatur. Idem quoque videtur indicare ATHENAGORAS * Et * p. m. 295. enim vbi de hac incestus calumnia in sua apologia disferuisset, e vestigio ad illam fratrum fororumque, inter Christianos receptam appellationem, transit: διὰ τὸτο καὶ καὶ ἡλικίαν τὰς μὲν υἱὸς καὶ θυγατέρας νοῶμεν, τὰς δὲ ἀδελφὰς ἔχομεν καὶ τοῖς προβεβηκόσι τὴν τῶν πατέρων καὶ μητέρων τιμὴν ἀπονέομεν. ὅς ἐν ἀδελφὰς καὶ ἀδελφὰς καὶ τὰ λοιπὰ τῆ γένους νοῶμεν ὀνόματα, περὶ πολλὰ ἡμῖν ἀνύβριστα καὶ ἀδιάφθορα αὐτῶν τὰ σώματα μένουν. Ideoque prae aetate alios filios ac filias censemus, alios fratres habemus ac sorores, ac senioribus patrum ac matrum honorem tribuimus. Quos itaque fratres ac sorores appellamus, & reliquis cognationis nominibus dignos indicamus, eorum vt corpora intemerata & iniolata maneant, magna nobis cura est. Nimirum aestimabant gentiles ex sua consuetudine christianos, qui fratris & sororis appellationibus, ad regenda stupra & libidines passim abutebantur. Sic Phaedra apud SENECAM Tragicum, cum amorem suum verecunde de indicare vellet, ait:

Matris superbum est nomen, & nimium potens.
 Nostros humiliter nomen affectus decet,
 Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca.

Sed

* lib. III.
cap. IX. p.
587. seqq.
*Religionis
& fidei so-
cios reliquis
esse praefer-
rendos.*

Sed pluribus haec edisserit CHRISTIANVS KORT-
HOLTVS, in Pagano obtrectatore, * quem consuluis-
se poenitebit neminem.

§. LI. Quo magis autem a sanctiori Christi disci-
plina discessit sequior aetas, eo infrequentius cum amo-
re nomen quoque fraternum fieri coepit, vt parum ab-
sit, quin multis aequae insolens hodie videatur, ac visum
olim gentilibus fuit. Quamdiu tamen existent, qui
Christiani non vocantur modo, sed etiam sunt, tamdiu
arctissimo isto fraterni amoris vinculo eos inter se con-
stringi, atque colligari, oportet. Hos ergo si cum reli-
quis hominibus contendas, quid vtrisque debeatur, immo
quinam praeferendi sint, si inter se contendantur, id qui-
dem est, de quo sumus solliciti. Praeferendos vero hacte-
nus fidei eiusdem participes esse, nemo dubitauerit.
Namque cum omnes illae rationes, quae vt reliquos
amemus, iubent, in his quoque, qui christiana sacra no-
biscum colunt, adsint, ad has vero cognatio ista spiritualis
fraternitatisque ratio, & arctius vinculum accedat, potio-
ri apud nos loco hos, quam illos, merito esse, palam est.
Quod gentium etiam omnium fere consensus confirmat,
quae tuendos eos maxime, ac defendendos sibi credunt,
saltem quamdiu suis hoc non obstare putant commodis,
quos sacrorum eorundem secum vna participes esse in-
telligunt. Id vero cum plerumque de vnius saltem do-
ctrinae professione capiatur, multo tamen magis
locum habere fateantur necesse est, cum intima
animorum, per vnum eundemque spiritum, coniunctio
accedit. Ex quo id sua sponte etiam sequitur, si cum
alterius religionis homine nostrae religionis socius con-
currat, nec vtriusque fieri satis desiderio possit, praeferen-

rendum hunc esse, quamdiu aliae rationes, & circumstantiae specialiores, aliter nos hic sentire non iubeant.

§. LII. Id modo incertum, ancipitemque reddere aliquem posset, quod tamen & naturale cognationis vinculum inter homines intercedat, ut itidem pro fratribus reputentur merito, hoc etiam nomine in ipsa scriptura sacra veniant. Quod quidem vinculum sanctius atque validius quibusdam videatur, quam ut religionis diversitate, quaedam introduci inter homines inaequalitas possit. Videas autem saepissime, ad naturalem hanc cognationem ipsos gentilium prouocare philosophos, & hoc maxime argumento, cur omnes ex aequo diligere debeamus, uti. M. AVRELIVS ANTONINVS: * *Non obstante naturalis cognationis, quae inter omnes homines intercedit, vinculo, de quo ethnicorum philosophorum refertur sententia.* *omnino ratione praedita esse inter se cognata* [ὅτι συγγενὲς πᾶν τὸ λογικόν] *esseque hominis naturae conveniens, ut omnium hominum curam gerat.* *lib. III. §. IV.* Omnes itaque ratione praeditos cognatos inter se esse dicit, indeque concludit, quod vnus alterius curam gerere debeat. LVCRETIVS, dum omnes eodem semine natos, omnibus eundem patrem esse asserit, idem videtur innuere:

*Denique coelesti omnes semine nati,
Omnibus ille idem pater est.*

lib. III.

Reliqua vbiuis obuia praetereo lubens. Hoc modo addo, caute hic ethnicorum capienda esse effata, ne dum quod salutare in iis est, complectimur, errores etiam imbibamus. Stoici enim ex cognationis iure haec hominum officia deriuantes, eo maxime nitentur fundamento, vnus eiusdemque spiritus, qui totum pervaderet mundum, ipseque Deus esset, homines esse participes, & hinc demum concludebant, fratres eos esse,

H

cogna-

cognatos, immo vnus vniuersi partes, nec sine crimine in se inuicem insurgere posse. Eandem, quam supra retuli, sententiam M. AVRELIVS ANTONINVS alibi sic exprimit: *tandem aduertas oportet, cuiusnam mundi pars sis* (τὸς κόσμος μέγ@ εἰ) & *cuiusnam mundi rectoris propago*, ἢ τί@ διοικῶν τὸν κόσμον ἀπόρροια). Nimirum duplex mundus & materialis & spiritualis, idem tamen arctissime coniunctus, vt vnum animal constitueret, secundum Stoicos statui potest. Homo itaque vtriusque mundi pars erat & materialis, qua corpus, & spiritualis qua mentem. Hinc & mentem θελαν ἀπόρροιαν antea dixerat. In faniori autem sensu mens ἀπόρροια τῆς ἑ παντοκράτορος δόξης dicitur ab auctore libri sapientiae cap. VII. 15. Imperator itaque ANTONINVS, cum melioris mundi, qua mentem, pars homo esset, iubet, vt hoc secum cogitet: τὸν κόσμον μέγ@ εἰ, vt ad virtutem, aliorumque hominum amorem, eo efficacius eum adhortetur. Antea tamen etiam ἑ ὅλος κόσμος μέγ@ εἰ hominem vocauerat. Sed quantumuis splendida haec sententia progignat pro demonstranda omnium hominum cognatione, indeque resultante amoris necessitate, argumenta, lubrico tamen non tantum innititur fundamento, sed quod Deum cum mundo confundat, impia etiam est, prorsusque reiicienda.

§. LIII. Rectius & tutius hac de re philosophantur, qui aduocata in subsidium scriptura sacra, homines non tantum, quod vnus naturae participes, sed quod ex vno sanguine prognati, omnesque adeo vnum conditorem Deum agnoscant, cognatos inter se, & ad amorem mutuum iure meritoque incendi, continent.

Eadem cognatio naturalis ex scriptura sacra & ecclesiae doctoribus adfirmat.

tendunt. Exemplum praeit Malachias diuinus vates *ur, & vlt-*
II. 10. Sequuntur ecclesiae doctores, qui ius fraternitatis, *ius illustra-*
 quod inter omnes homines intercedit, saepissime his *ur.*
 argumentis demonstrant. AMBROSIVS: * omnes homi- * *Orat. II. de*
nes vnus naturae partes sunt, iuxta eius concepti viscera, Abrah.am.
ex vno fotti atque effusi vtero. Vnde nobis iure quodam, cap. VI.
 fraternitatis connectimur, ab vno patre conditi, ex vna
 matre, tanquam fratres vterini editi. Nimirum non
 tantum a Deo omnes originem trahunt, sed cum per
 vnum virum vnamque foeminam genus hominum,
 propagari vniuersum Deus voluerit, gemino eoque lu-
 culentissimo argumento arctissimam quae inter omnes
 intercedit, cognationem edocemur. Eaque de causa
 has rationes inter se coniungunt ecclesiae doctores, &
 primo quidem ob communem ortum, quem a Deo
 habemus, deinde vero ex specialiori ratione, ob com-
 munes parentes, Adamum atque Euam, ex quibus pro-
 gnati sumus, fratres atque cognatos omnes homines di-
 cendos esse contendunt. Vtrumque, quanquam pau-
 lo obscurius, innuit AMBROSIVS, clarius ASTERIVS
 apud PHOTIVM: * fratres vocamus eos, qui ex vno semi- * *cod.*
ne nati & vno vtero (Adami videlicet & Euae) qui & CCLXXI.
 eundem habent creatorem, & vnam matrem terram, ex qua
 formati sumus & animae propinquum axioma. Speciatim
 tamen principi argumento, quod a Deo omnes conditi
 sumus, passim insistunt. Quo & LACTANTIUS ** * *lib. V. In-*
vtitur, cum omnes, inquit, homines ab eodem Deo & eadem sit. diuinar.
conditione generati, imo fraternitatis inter se coniuncti cap. XV.
sunt. Hic omnes generat & inspirat, omnes aequos, i. e.
*pares esse voluit. Et alibi: *** hic verus pater est, per *** lib. I.*
quem sumus, & cuius totum sumus, a quo fingimur, anima- cap. II.
 H 2 *unf.*



mur &c. Quod vero & AMBROSIVS, & ASTERIVS terrae, ceu communis omnium matris meminerunt, vt ad eandem omnium originem, conditionemque aequalem euincendam, plurimum valet, ita frequentissimum apud veteres ecclesiae doctores est, eadem subinde ratione, in hoc disceptandi genere vti. Immo & apud gentiles, quanquam diuerso a christianorum doctrina, sensu. Quando enim LVCRETIVS ait: **

** lib. V. p. m. 174.

*Quare etiam atque etiam maternum nomen adeptæ,
Terra tenet merito: quoniam genus ipsa creauit
Humanum, atque anima prope certo tempore fudit.*

id cum grano salis accipiendum. Constat enim Epicuraeos, quorum disciplinam LVCRETIVS sequitur, eam vim telluri tribuere, qua producere per se, sine Numinis adiumento, & hominum & animalium genus omne potuerit. Quod & aperte satis innuit, quando dixit: *quoniam genus ipsa creauit humanum.* Non enim terra creauit, sed Deus ex terra creauit, produxitque omnia, hominisque corpus formauit. Mollius tamen alibi idem LVCRETIVS: *

* lib. V.

P. 173.

*Linqvitur vt merito maternum nomen adeptæ.
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creatæ.*

Sed hisce non immoramur: explicare enim accuratius si cuncta vellemus, repetenda discutiendaque mihi gentilium de hominum ortu sententia diligentius esset, id quod nostri infirmitati non est. *

*Spiritualis
cognationis*

§. LIV. Naturalis itaque quae inter omnes intercedit cognationis haec sunt fundamenta, neutiquam con-

** Vid. interim Iustus Lipsius Phyllog. Stoicor. lib. II. dissert. XVIII. & lib. III. dissert. IV.*

contemnenda: immo eiusmodi sunt, vt arctissimum necessitudinis, quo omnes inter se colligati sint, vinculum, euidenter probent. Nec tamen nostrae vlla ratione derogant sententiae, cum longe adhuc sanctius & arctius vinculum inter eos intercedere contendimus, qui christiani non tantum vocantur, sed etiam sunt. Id quod, quo pacto se habeat, paucis est explicandum. Deus cum hominem conderet, non tantum e terra corpus formauit, mentemque, qua ab animalibus reliquis differret, eidem indidit, sed & ne quid ad summum felicitatis gradum eidem deesset, pro incredibili suo erga nos a se conditos amore, arctissima quadam ratione hominem secum coniungi, atque vniri voluit. Idque ea quidem ratione, vt omnes mentis humanae vires in Deum essent directae, simulque & fontem, & exemplum, omnigenae felicitatis in eo deprehenderent. In hac conditione si hominum genus persutisset, non potuisset non semper inter se amore ineffabili coniunctum manere, cum quae tertio arctissime cohaerent, inter se nullo modo separata aut secreta intelligi queant. Atque hoc fundamentum erat longe arctioris cognationis, quam istius, qua Deus omnium pater, terra omnium mater censentur, & ex vno sanguine omnes prognati dicuntur, quamve tantum ethnici scriptores innuunt, alteram ignorantes; & scriptores etiam ecclesiastici significant, cum in naturae, corruptae vtique & misere deprauatae statu, hominem considerant. Namque primorum parentum culpa abruptum hocce cognationis vinculum, hominesque Numinis isto consortio excidisse, constat. Simul vero in eam detrusi sunt conditionem, vt & reliquorum

*praenatura
li praeroga-
tiua amplis-
sima de-
monstratur.*

H,

vin-



vinculorum, quae utcumque in mutuo eos continere amore debebant, & quorum supra meminimus, fere obliuiscerentur, aut saltem haec ad propullulantes prauos, amorique fraterno contrarios affectus, nimis inualida atque infirma essent. Seruatoris itaque, quem ut ex miseris ac calamitatibus suis homines eluctarentur, Deus misit, eo comparatum fuit munus, ut arctissima illa Deum inter atque homines unio, coniunctioque, redintegraretur. Quo ipso & sublime illud cognationis diuinioris, quod inter omnes olim intercedebat vinculum, non potuit non restitui. Atque hinc demum ut amoris mutui longe alia facies, ita obligationis etiam vis arctior resultat. Est namque Deus omnium hominum pater, cum ab eo ceu omnium conditore originem ducant omnes: sed eminentiori quadam ratione illorum pater est, qui ab eo sunt regenerati. Intercedit inter omnes fraterni amoris nexu, quod unum Deum patrem agnoscant, omnes aequae ex terra formati sint, omnes a primis parentibus progenerati: sed longe sanctior inter illos, qui in Deo arctissime coniuncti, unius velut corporis saltem membra atque partes constituunt. Ad reliquos enim quod attinet, tantum abest, ut ista cum Deo coniunctione gaudeant, ut semper in contraria ferantur, eaque agant, dicant, cogitent, quae & amoris & honori Numinis e diametro repugnant. Hi ergo cum unicum & genuinum coniunctionis, quae inter homines intercedit, fundamentum respiciant, qui fieri possent, ut inter se coniuncti sint & colligati? Multo minus autem cum illis vlla cognatione spiritali, vlloue amore vero, coalescere possunt, qui Deo dediti sunt, eiusque sequuntur nutum. Luci enim cum tenebris nulla est convenientia: & qui Deum odio prosequitur, amare illos

ne-

nequit, vero, non fucato amore, qui ex Deo geniti sunt. Tam ingenti itaque interuallo cum regeniti a reliquis distent, sua sponte ratio patet, cur in officiis rite dispensandis hic obseruandus ordo sit, vt spirituali cognatione nobis coniunctos reliquis, multis omnino praeferamus modis, insuper habita illa naturali cognatione omnium hominum, de qua verba fecimus haectenus. Atque id quidem vt euinceremus, e re nostra fuit.

§.LV. Confirmari vero, quae de fundamento & natura cognationis spiritualis, eiusque inde prae naturali resultante praerogatiua, diximus, facile ex scriptura sacra & ecclesiae doctorum testimoniis possent, si hoc nunc agerem. Et scriptura quidem sacra passim hoc docet, non tantum regenerationem, per quam in pristinum coniunctionis cum Deo statum, ex quo omnis cognatio spiritualis fluit, restituimur, describendo, eiusque necessitatem inculcando *Io. III. 3. Tit. III. 5.* sed & arctissimam, quae inter regenitos intercedit, coniunctionem hinc deriuando, adeo vt vnum omnes regenitos constituere corpus, eos partes & membra esse vnus corporis, aperte significet. *Rom. XII. 5. Ephef. I. 23. Coloss. I. 24.* vt reliqua nunc taceam. Doctorum autem ecclesiae si hac de re conferre testimonia vellem, vel integer conscribendus mihi liber esset, quanquam & hoc iam factum sit ab aliis. Breuiter rem omnem complectitur HILARIUS: * *vt meminerint fratres omnes esse, * Can. XXIV id est, per nouae natiuitatis generationem terreni ortus excessisse primordia. Et OPTATVS MILEVITANVS: Non XXII, possunt non esse fratres. Est quidem nobis & illis vna spiritualis natiuitas. * Et quae alia sunt eiusdem indolis. * lib. I. aduersus Parmenium.* Eidem vero ecclesiae doctores, praeunte iterum scri-

Illius natura & fundamentum vltterius illustratur.

** Can. XXIV id est, per nouae natiuitatis generationem terreni ortus excessisse primordia. Et OPTATVS MILEVITANVS: Non XXII, possunt non esse fratres. Est quidem nobis & illis vna spiritualis natiuitas. * Et quae alia sunt eiusdem indolis. * lib. I. aduersus Parmenium.*

scriptura sacra, sollicitè reliquis etiam, quae ad commendandam hanc spiritualis cognationis coniunctionem pertinent, utuntur argumentis, eundem omnibus datum seruatorem, eundem spiritum, eandem fidem & haec omnia vnus eiusdemque verbi, & baptismi ope per Numinis gratiam, sine vllò cuiusquam merito, contigisse omnibus. Quae ita profecto comparata sunt, vt & naturam indolemque huius coniunctionis explicatius sistant, & eius in amoris fraterni exercitio efficaciam prodant, simulque quantum illis qui tam arctè nobiscum colligati sunt, prae reliquis debeamus, abunde demonstrent.

*Parentum
cognato-
rumque na-
turalium
cum fidei
consortibus
comparatio.*

§. LVI. Generatim ergo si cum spirituali cognatione coniunctis contendatur reliqui, res fere ducio caret. Ast ad specialiora si descendamus, alia se offerunt, quae non aequè expedita possunt videri. Interim & hisce diluendis inseruiant, quae hucusque disputauimus. Etenim si contingat, vt parentes, fratres, alique cognati naturales, sed verae fidei non participes, concurrant cum illis, & in comparisonem veniant, qui spirituali cognatione nobis coniuncti sunt, vtri praeferendi? dubitari omnino possèt. Naturales cognatos potiori forte quis habeat loco, eo quod praeter communem omnium hominum, specialis insuper cognatio accedat: eo autem fortius istud censeatur vinculum, quo pluribus innitatur rationibus. Tam sanctum insuper patris, fratris, vxoris, filii, si proprie capiatur, & in arctiori significatione, nomen habetur, vt quod cum illa comparari queat, nihil hominum iudicio reperiatur. Haec autem omnia quantacunque sunt, cedere rursus illis videntur, quae de cognatione spiri-
tuali

tuali diximus. Spiritu eodem, eademque fidei; immo com-
 muni naturae diuinae participatione, qui inter se deuinci-
 yuntur, arctiori profecto colligantur vinculo, quam quod
 sanguinis coniunctio progignit. Immo quanto mens cor-
 pore praestat, tanto sanctior intima illa mentiū cum Deo &
 inter se coniunctio reputari debet. Comprobare hanc sen-
 tentiam videntur & sensus, & mores, veterum christia-
 norum. In illis enim non minor affectus in fidei fo-
 cios, quam in parentes & liberos comparuit, vt si hos
 non aperte praetulerunt, dubium tamen hoc relique-
 rint omnibus. HIERONYMI huc facere videntur
 verba: * *hic ordo in omnibus affectibus necessarius: ama post-
 Deum patrem, aut matrem, aut filios. Si autem necessitas
 venerit, vt amor parentum aut filiorum amoris Dei com-
 retur, & non possit vtrumque seruari, odium in suos, pietas
 in Deum seruanda.* Quem in modum & alibi idem
 HIERONYMVS, ** & CHRYSOSTOMVS, *** & AVGV-
 STINVS **** hac de re verba faciunt. Sed id qui-
 dem ad nostram non prorsus quadrat quaestionem.
 Etenim isti ecclesiae doctores cognatos naturales non
 tam cum cognatis spiritualibus, comparant, quam po-
 tius cum ipso Deo. Ecquis vero neget, Deum magis
 quam cognatos omnes, quocumque nomine veniant,
 diligendum esse? Et hoc est, quod seruator dicit: *si quis
 ad me venit, nec suum patrem, & matrem, & uxorem, & li-
 beros & fratres, & sorores, atque adeo suam ipsius animam
 odit, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV. 26. Adeoque
 si naturales cognati cum spiritualibus concurrant, fi-
 mul vero palam ad honorem Numinis tendat, vt illos
 his post ponamus, rursus manifestum est, recte nos a-
 gere, si ita nos geramus. Vbicumque enim, siue aper-
 te siue occulte hoc fiat, cum homine concurrat Deus,
 I vel

* lib. 1. com-
 ment. in
 Matth. X.
 ** in Matth.
 XII.
 *** hom.
 XXII in var.
 loca Matth.
 **** Ep.
 LXXXVIII.

vel ipsa deliberatio aut cunctatio, an nosmetipsos nos-
 frosque postponere velimus, crimine non vacat. Quod
 si vero ponamus, eam esse rerum faciem, vt par ha-
 ctenus cognati naturalis atque spiritalis sit conditio,
 nec pateat ad honorem Dei directe pertinere, vt huic
 magis faueamus quam illi, tum quidem, quis praeferendus
 alteri sit, dubium admodum atque anceps videtur. O-
 pe tua indiget pater improbus, indiget fidei socius, suc-
 currere vtrique nequis, quid factu opus? ne impingas.
 Hinc *Φιλαδελφία* spiritalis, illinc *εὐσυχία* naturalisque
 amor militat. Mihi quidem hac de re ita videtur, per
 specialiores circumstantias patere facilius, cui nostrum
 impertiri amorem debeamus. Etenim & hic locum
 habere arbitror, quod supra ex TULLIO attulimus, vt
 quādoque vicini cognatis, rursus que cognati vicinis prae-
 feruntur, ita & generatim quidem cognatos spiritalis
 praeferendos esse naturalibus, in quibusdam tamen of-
 ficiorum generibus, si vtrisque satisfieri nequeat, hos
 quandam retinere praerogatiuam. Pertinet naturalis
 cognitionis vinculum ad ius sanguinis, cuius sanctitas
 in rebus ad huius vitae conseruationem spectantibus,
 in hominibus sibi relictis (de his enim nunc nobis ser-
 mo est) nec luce coelesti collustratis, praecipue se exe-
 rit. Atque externae societatis ratio suadet, ne hunc na-
 turae ordinem temere immutemus. In his ergo habe-
 ant patres, fratres, cognati, quandam *εὐσυχία*. Sed haec
 ipsa tamen non obstat, quo minus eiusdem fidei focii
 vero demum se amore prosequantur, longe arctius
 inter se coniungantur, & posthabitis naturalis cognationis
 blandimentis, magis se diligant, quam sanguinis
 vinculo coniunctos.

§. LVII. Inter ipsos cognatos spiritalis dari
 quan-

quandam diuersitatem res ipsa docet. Etenim & ex
 causis spiritualibus contingere potest, vt vni magis ob- *Comparatio*
 stricti simus, quam aliis. *illorum, qui*
 Quemadmodum enim co- *spiritali co-*
 gnationis naturalis haec est ratio, vt patrem merito *gnationis*
 praeferamus fratri, ita cum vel ipsa scriptura sacra prae- *vinctulo con-*
 eunte quidam inter fidei socios patrum loco apud nos *iuncti sunt,*
 sint, quidam fratrum, diuersam hinc praestationum, *inter se.*
 quas a nobis exigunt, oriri necessitatem, facile intelli-
 gitur. Deinde & ad causas spirituales accedere potest
 naturalis cognationis ratio. Quod si fit, ex duplici
 capite enata obligatio arctius etiam nos constringit. In-
 ter fidei enim socios, quin pater & frater, a specialibus
 si discedamus rationibus, praefereendi sint reliquis, du-
 bio fere caret. Denique & locorum, & temporis &
 aliarum *περί τόπων* hic habenda est ratio, quae ita com-
 paratae sunt, vt per eas vni magis & arctius obstringa-
 mur, quam reliquis. Recte CASSIODORVS: * sic igitur * *de Amic.*
proximus diligatur, vt secundum exigentiam meriti, aut
dignitatis ipsius, vnus alteri praeseratur, & maior in ex-
hibitione certi ordinis mensura seruetur. Praeterea sic
graduum modos & ordinum status vnique dilectionis cen-
sura distribuat, prout ei debentur. Eodem modo BERN-
 HARDVS: * omnes fideles homines debemus diligere, sed * *Serm. V.*
cum omnibus prodesse non possimus, istis maxime consulen-
dum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum
oportunitatibus constrictius nobis quadam sorte coniungun-
tur. Est vero ex hac obligationis, & praestationum di-
 uersitate, non statim colligenda diuersitas affectus atque
 amoris. Omnes enim, qua affectus, eodem loco habet
 christianus, omnium miseretur, omnium commoda
 aequae studiose quaerit, omnibus inferuire aequae enixe
 cupit. Cumque naturales affectus haud raro amori



spirituali se misceant, illos tamen subigere, & intra iustos coëcere limites didicit, ne p̄ as naturae, quam diuinae voluntati, ad quam omnia exigit, omnia componit, tribuisse videatur. Haec ipsa autem diuina voluntas, cum obligationis & praestationum diuersitatem inducat, hanc ita sequitur, vt amoris aequalitati integritati nihil decedat.

An religionis praerogatiua ad integras gentes pertineat?
 §. LVIII. Ad singulos quidem homines, quae hactenus disputauimus, pertinent. De integris gentibus quaeri adhuc posset, an & inter eas per religionis diuersitatem, discrimen aliquod constituitur. Scio, nihil esse solemnius, quam posito tali ex religione orto discrimine, asserere, & in bello, & in federibus illius populi praecipue habendam rationem esse, qui eadem nobiscum colit sacra. An vero satis, qui fidenter ita arbitrantur, perpenderit, quae dicant, quaeue statuunt, nescio. Etenim cum arctior ista obligatio, qua religionis fideiue fociis prae ceteris obstringimur, ex regeneratione demum ceu vnico & genuino cognationis spiritalis fonte, oriatur, sequitur eos, qui per istam regenerationem coniuncti nobiscum non sint, nec pro cognatis reputandos, nec ea iura, quae his competunt, sibi vindicare posse. Quod enim idem nobiscum nomen vsurpent, eandemque religionis speciem seu *πρόφασιν*, hoc profecto tanti esse non videtur, vt ideo praecipui quid, si cum aliis concurrant, illis sit tribuendum. In integris vero gentibus ita se res habet, vt plerumque paucissimi in eis sint, qui praeter nomen externamque doctrinae professionem, cum Christi seruatoris discipulis veris & genuinis aliquid commune habeant. Quare in eam facile quis ingredi sententiam possit, cum cognationis, illud spiritalis vinculum inter gentes integras atque populos cesser, non posse quoque vniam gen-

gentem religionis causa praeferrī alteri, sed omnes eodem habendas esse loco. Id vero maximopere receptae hactenus sententiae repugnat, per quam haec praerogatiua religionis splendidum, modo non interdum & iniquum, certe frequentissimum argumentū praebet, quo in conciliandis populorum animis, & ad rem suam flectendis, uti rerum ciuiliū magistri consueuerunt.

§. LIX. Et verissimum sane est, praecipuo artioris obligationis fundamento, inter eos, qui praeter nomen & doctrinae externam professionem, commune nihil cum christianis habent, labefactato, cetera, quae eidem superstruuntur, consistere non posse. Nihilofecius tamen, potest aliqualis praerogatiua, doctrinae externae socii concedi, licet iidem fidei socii non sint, nec vero cognitionis spiritualis vinculo, nobiscum colligati. Etenim ut fides in christianis efflorescat, dignique christi discipulis mores, eam consequantur, id omnino doctrinae, quae religionis christianae mysteria pandit, sed purae & incorruptae, est tribuendum. Qui enim aliunde quam ex coelesti euangelii doctrina, per quam miranda quaeque diuinus spiritus perpetrat, fidem moresque sanctos & innocentes sibi pollicentur, frustra sunt, & a veritatis tramite multum aberrant. Omnium itaque, qui res christianas quam optime se habere cupiunt, quam maxime interest, ut integri & salui maneant isti coetus, qui doctrina puriori, adeoque & ad fidem progignendam accommodatiori, personant. Eam rem enim manifesto ad regni diuini limites prorogandos, Numinisque gloriam amplificandum, pertinere, intelligunt. Cumque omnibus gentibus prodesse velint, istis tamen praecipue consultum cupiunt, per quas doctrinae puritas conseruatur & propagatur: & ad hanc eis praerogatiuam concedendam, vel eo nomine se ob-

Pertinere, in quantum doctrinae communioni inicitur, ostenditur.

ftri-



strictos vident, quod studium latius diuinæ doctrinæ se-
mina spargendi, tantoque plures ad felicitatis, qua gau-
dent, communionem perducendi, hoc iubeat.

*Sociorum re-
ligionis prac-
aliis gentibus
prae rogatiua
in bello.
* de iure belli
& pacis lib. II
cap. XXV.*

§. LX. His demum rite constitutis, atque euictis, intel-
ligi potest, quousque & pro religionis focis arma capi queant,
& quo loco inter plures, nostram operam exigentes, sunt ha-
bendi. Ingreditur equidem in hanc disputationem HVG O
GROTIVS,* sed quod miror, religionis sociorum nullam in-
iicit diserte mentionem. Primo vero is loco subditos pon-
nit, quos vt defendat, primoque loco illorum curam gerat,
quilibet princeps obligatus est. Subditis proximi, inquit,
immo pares sunt in hoc, vt defendi debeant, focii in quorum
federe comprehensum id est, siue in tutelam sese & fidem ali-
orum dederunt, siue mutua auxilia pacti sunt. Tertia causa
est amicorum, ita pergit GROTIVS, quibus auxilium prom-
issum quidem non est, sed tamen amicitiae quadam ratione
debetur, si facile & sine incommodo exhiberi possit. Sic pro
Lotho cognato arma sumpsit Abrahamus. Postrema latissime
meque patens est hominum inter se coniunctio, quae vel sola
ad opem ferendam sufficit. Haec GROTIVS. Ego vero om-
nino addi his religionis socios velim, quos amicis si non
praeferendos, omnino aequiparandos existimauerim: immo
& praeferendos, quando religionis causa agitur, nec speciali-
ores amicitiae rationes, quae aliud quid suadeant, subsint. Ge-
neratim quidem quod pro religionis focis defendendis arma
capereliceat, nunc ponimus, quod alio tamen loco clarissime
euincitur atque demonstratur. Saltem HVG O GROTIVS hanc
sententiam adprobat, quando quidem Constantinum laudat, in
Maxentium & Licinium arma capientem, eosque Imperato-
res Romanorum, qui in Perfas aut arma ceperunt, aut capere
minati sunt, nisi vim a christianis religionis nomine arcerent.

In federibus.

§. LXI. De federibus idem intelligendum esse res
ipsa docet. Possè enim cum iis etiam, qui in religione a no-
bis dissentiant, federa pangi, euictum iam ab aliis est, & non
rationibus tantum, sed exemplis etiam in ipsa scriptura sacra
laudatis, comprobari potest. Rurfus tamen, si cetera recte

se

se habeant, praefendum in federe religionis socium, reli-
quis esse, constat, & ex dictis patet. Accedit rursus calcu-
lo suo HUGO GROTIUS. * Postquam enim affirmaverat, e-
tiam per christianae religionis scita, non esse nefas, cum his
qui a religione alieni sunt, inire fedus, cum amor, quo omnes
prosequi iubemur, exigat, ut in causa iusta omnes subleuemus,
recte subiicit: *Quae accipi oportet salua gradus differentia, ut in
omnes simus benefici, praecipue tamen in religionis consortes.* In

Clementinis constitutionibus, addit idem GROTIUS, legi-
mus: Πᾶσιν ἐν δίκαιον δίδοναι ἐξ ὁμολων πόνων, προτιμητικῶν
de τῆς ἀγίας: *omnibus largiendum de nostra opera: sed ita ut
sanctorum potior habeatur ratio.* Perfecta liberalitas, inquit AM-
BROSIVS**, *fide, causa, loco, tempore, commendatur, ut primum, o-*

pereris circa domesticos fidei. Sed haec, simillae patrum effata,
caute accipienda, & circum specte huic instituto accommo-
danda sunt. Namque a religionis seu doctrinae sociis discern-
endi sunt socii fidei, qui *sancti* in constitutionibus Clemen-
tinis dicuntur. Sed hoc iam supra euicimus.

§. LXII. Ut vero in omnibus rebus, ita & hic dispici-
endum sedulo, ne dum vitare vitia volumus, in alterum, quod
aiunt, extremum procurramus. Errant, qui religionis fo-
cios & peregrinos vno eodemque loco habent, aut hos illis
praeferrunt: sed errant & illi, qui religionis consortibus ita fa-
uent, ut in ceteros quidvis sibi licere arbitrentur. Dicit non
potest, quam multorum praua haec opinio infideat animis.
Egregie suum comprobasse amorem se putant, si utcumque
in religionis socios beneficia quaedam contulerint: iudae-
os, ethnicos, & quos haereticos vocant, adeo nullo prosequen-
dos amore existimant, ut si contumeliosissimi in eos ex-
titerint, grauissimisque affecerint iniuriis, tum demum prae-
claro specimine suum erga veram religionem prodidisse affe-
ctum, sibi videantur. Quod quam parum & cum vera christi-
anae religionis indole, & cum moribus etiam veterum christi-
anorum consentiat, per se patet. Si quidem, ut nunc alia ta-
ceam, Paulus Apostolus anathema fieri, & extrema quaeque
pati lubens volebat, modo Iudaeorum, odio vehementi in
chri-

* lib. II. de I. B.
& P. cap. XV
§. 10.

** Offic. lib. I.
c. III.

Monitum, ne
praerogativa
religionis, in
aliorum inia-
riam & de-
trimentum
cedat.

christianos incensorum, salutem contuli vlla ratione posset. Sed ex quo ad vitae huius commoda verti religio christiana, vel eius potius quaedam species ac umbra coepit, non aliter quoque in ea, quam in opum, rerumque ad hanc vitam spectantium possessione homines se gerunt, eam ostentantes atque iactantes magno strepitu, & vatiniario odio prosequentes, qui eripere aliquid, quod cuiusmodi sit, ipsimet nesciunt, videntur. In Romanensibus vituperari quidem passim hi mores solent: nec immerito: sed nec alieni ab illis sunt, qui quam maxime nomen titulumque Romanae ecclesiae detestantur. Immo, quae priuatae fortis homines vexat pestis, rerum quoque dominos inuasit, vt bella omnia federaque licita haud raro putent, quae diuersae religionis gentibus noceant, si vel maxime ab his laesi non fuerint. Exemplum rursus illorum doctrina praebet, qui ne fidem quidem gentibus, quas haereseos postulant, esse seruandam, autumant. Quod longe communissimum societatis officium cum denegatur iis, qui religione & opinionibus dissident, quid quaeso est, quod tutum satis & securitati suae sufficiens, existimare quis queat? Ego vero non modo istam ex inconsulto zelo resultantem inhumanitatem, ne quid grauius dicam, damno, cum ipsimet christiani inter se committuntur principes: sed & quando cum illis res est, qui ne quidem nomen christianaee religionis nobiscum commune habent. Extant doctorum virorum consultationes de armis christianorum principum ad Turcas opprimendos, coniungendis: ipseque optat HUGO GROTIUS, * vt commune aliquod eo nomine ineatur sedus. Et optandum sane esset, vt iras & odia mutua tandem ponerent, qui christiani videri volunt, quod tamen tum demum fiet, cum euadent tales, quales se fingunt; sed vt in Turcas eos conuertant, tum demum fas fuerit, cum praegnans iustaque causa aut sua defendendi, aut e-repta recuperandi hoc iusserit. Turcae ideo, quod christianus non est, tantum religionis causa, inferre bellum, tam ini-quum est, quam hoc ab ethnicorum quoque moribus, laedere eum, qui nos non laesit prius, alienum esse solet. Sed haec, hac quidem vice, sufficiant.

* lib. II. cap.
XV. §. XII.

p. 40. lin. vlt. pro, obligatione comparationum, leg: comparatione obligationum.



ULB Halle 3
003 892 832




f

Sb.







1703 13/26 35.

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS
DE
COMPARATIONE OBLIGATIONVM QVAE EX DIVERSIS HOMINVM STATIBVS ORIVNTVR

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI, ELETORATVSQVE BRAN-
DENBVRGICI HEREDE, ET RELIQVA

PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO,
P. P.

ERVDITORVM EXAMINI
A. D. **NOVEMBR. A. MDCCIII.**
SVMITTIT

IO. WILHELMO COELER;
KAGVHNO - ANHALTINVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

